

LANDINO (Cristoforo)

XANDRA (2938 vers)

## LIBER PRIMUS

## AD PETRUM MEDICEM

X1\_1 v.1 Qui nunc censuram mavult tolerasse legentum  
 2 terna olim potuit lustra latere liber ;  
 3 namque pudens, gnarusque sui sapienter ineptas  
 4 in lucem nugas noluit ire suas.  
 5 Nunc tua cum videat geminos per limina fratres  
 6 audere in doctas saepe redire manus,  
 7 ipse etiam Medicis se Maecenatis in aula  
 8 sperat honoratum posse tenere locum.  
 9 Qui faciam si magna tui clementia suadet  
 10 tristia ne docti iudicis ora tremat,  
 11 si nimium petulans, nimium te, Petre, superbus  
 12 effugit obscurae sordida tecta domus ?  
 13 Ergo eat : at turbae morsus si quando malignos  
 14 senserit et turpes in sua terga notas,  
 15 Heu, cupiet rursus spretas intrare latebras  
 16 et semel invisos ultro redire lares ;  
 17 sed si forte sacro felix se fonte lavabit,  
 18 qui fluit e Medica, lucida lymphæ, petra,  
 19 tunc lautus, nigras vertens in candida mendas  
 20 rumores de se negliget ille malos.

## AD LIBRUM

X1\_2 v.1 Si te Pierides, vatum si tutor Apollo,  
 2 vivere, parve liber, saecula longa velint,  
 3 hos fuge, quos nullo quondam violaverit arcu  
 4 neve suis facibus usserit asper Amor ;  
 5 namque negant veniam tristes qui fronte severa  
 6 censuraque graves mollia verba notant.  
 7 Si quis at hamatis transfixus corda sagittis  
 8 pertulerit nostri vulnera cruda dei,  
 9 hic veniamque dabit simul et miserebitur ultro  
 10 nec feret in nostris lumina sicca malis ;  
 11 nam semel indignas furias expertus amantum  
 12 asseret in terris durius esse nihil.

13 Praesertim ignoscet nimium juvenilibus annis ;  
 14 semper enim haec aetas digna favore venit.  
 15 Vertere Gorgoneae nam cum me lumina Xandrae  
 16 in silicem primum sic potuere novam,  
 17 ternis addideram lustris vix quattuor annos.  
 18 Nec bene dum noram quid sit amare malum :  
 19 quid mirum, telis facibusque armatus, inermem  
 20 tironem adduxit in sua jura deus.  
 21 Vos igitur, nostro quos experientia damno  
 22 admonet in caecos cautius ire dolos,  
 23 principiis obstate : licet. Nam fixa medullis  
 24 flamma semel numquam vellier inde potest.  
 25 Nec lectae prosunt Haemi de montibus herbae,  
 26 Pontica nec magicis gramina cocta focus,  
 27 nec quae Dulichiis mutarunt corpora nautis  
 28 carmine Circaeο noxia philtera valent.  
 29 Carmina Tartareo Manes Acheronte reducunt,  
 30 carminibus segetes arva aliena petunt,  
 31 carmine montanos redeunt in flumina fontes,  
 32 carmine destituunt sidera noctis iter ;  
 33 sed licet ipsa suis redeat Medea venenis  
 34 atque addat quicquid Thessala cantat anus,  
 35 non tamen auratis semel ah, confixa sagittis  
 36 ad sanum posthac corda redire queant.

QUO TEMPORE AMORE OPPRESSUS SIT

X1\_3 v.1 Nunc, age, dum tacitae sub nigra silentia noctis  
 2 fundere jam lacrimas vel sine teste licet,  
 3 huc Erato duros dum nos solamur amores,  
 4 huc assis, nam tu nomen amoris habes !  
 5 Hic libet, heu, primae tempus meminisse juventae,  
 6 cum vacuum tanti pectus amoris erat,  
 7 cum poteram totas securus stertere noctes  
 8 et ridere miser si quis amator erat,  
 9 necdum turbabant maestum suspiria pectus,  
 10 ore nec a tristi salsa fluebat aqua.  
 11 Heu, quis tunc fueram, quis nunc ! An vertere mentes  
 12 Jus tibi, proh, tantum, saeve Cupido, datur ?  
 13 Tu mea servitio pressisti colla nefando  
 14 ut primum dominae vidimus ora meae ;  
 15 nam neque mortalis facies nec lumen in illa  
 16 quale sub humana fronte micare vides,  
 17 quod si pace licet, Superi, mihi dicere vestra,  
 18 visa est caelestes voce preire deas.  
 19 Quin et tempus erat quo jam sub vere tepenti  
 20 pectora nostra solent igne calere novo -  
 21 aurea Phrixei nam tum per vellera signi  
 22 maxima lux mundi, sol agitabat equos -  
 23 cum sua nascentes depingunt floribus herbae  
 24 prata novis foliis cum viret omnis humus,  
 25 cum Veneris placidae stimulis excita volucris  
 26 demulcet querulis frondea rura sonis,  
 27 cum desiderio tauri concussa juvenca  
 28 consortem viridis quaerit habere tori,

29 cumque ovis irrigua nimium lascivit in herba  
 30 atque gregis sequitur sima capella virum,  
 31 omnia cum rident suavi respersa lepore  
 32 et tenet in terris aurea cuncta Venus ;  
 33 tunc tua me primum certissima, Xandra, sagitta  
 34 fixit et in pectus duxit amoris iter,  
 35 tunc primum insolitos mens nostra experta furores  
 36 coepit venturis tristior esse malis,  
 37 tunc mea libertas miserum me prima refugit  
 38 et coepi duro subdere colla jugo,  
 39 tunc primum sensi quae insania verset amantes,  
 40 sub specie mellis quanta venena latent,  
 41 quid sperare queant, quid sit magis usque timendum,  
 42 quae levitas miseros nocte dieque premat.  
 43 Ex illo semper maduerunt lumina nobis  
 44 tempore nec gratus venit in ora cibus.  
 45 Fulmine quid rapido figis fera corda Gigantum,  
 46 Juppiter ? Est major poena paranda malis.  
 47 Quisquis stelliferum contendit scandere coelum  
 48 tentat et in superos bella movere deos,  
 49 hic facibus duri subito inflammetur amoris  
 50 et dominae teneat sub juga colla suae :  
 51 tunc sciet Aetnaeos onus hoc anteire labores  
 52 et cupiet potius Pelia saxa pati.

AD BARTHOLOMEUM OPISCUM SCALAM

X1\_4 v.1 Quaeris cur nostros macies contraxerit artus  
 2 inque dies crescat pallor in ore mihi,  
 3 cur placidus miseros relevet non somnus ocellos,  
 4 cur lacrimae a facie fluminis instar eant ?  
 5 Ah nescis quantae vexent mea pectora flammae,  
 6 nec, mi Scala, vides quid sit amare malum.  
 7 Quod si te certa deus hic violare sagitta  
 8 coeperit, et faculis urere corda novis,  
 9 tunc Tityi duros poteris ridere dolores,  
 10 vulturis et saevi rostra putare jocos,  
 11 Tantaleaeque voles potius succumbere sorti  
 12 oraque Tartarei terna videre canis,  
 13 quam semel insano mentem vitiare veneno  
 14 et sentire quibus ignibus urat Amor.  
 15 In me tela, volant, in me sua fulmina taedas  
 16 concutit, inque dies durius instat Amor.  
 17 Tu tamen infando nondum, mea Xandra, furori  
 18 succurris : moriar, si mihi lenta venis.  
 19 Quae tibi, quae laus est, quae gloria tanta misellum  
 20 perdere me ? Damno stant mihi fata tuo ;  
 21 quis roseam faciem, quis cycnea colla manusque,  
 22 si peream, vel quis lumina nigra canet ?

AD XANDRAM

X1\_5 v.1 Talia si nobis contingant munera, Xandra,  
 2 ceperat Ascraeo qualia monte senex,

3 non ego, ut ille, soli pinguis mollissima culta,  
 4 nec referam niveae fertile vellus ovis ;  
 5 sed nova tam molli modulabor carmina voce,  
 6 victus amore gravi, tam tibi dulce querar,  
 7 Xandra, tuum ut videam gelidum suspiria pectus  
 8 fundere corque simul igne calere meo.  
 9 Tunc tua seu rigido quondam praecordia ferro  
 10 horruerint duro sive adamante licet,  
 11 victa tamen precibus tandem sic fabere nostris :  
 12 hic meus ingenti jam meret esse fide.  
 13 Splendida tum varii mutabunt ora colores  
 14 et lacrimae in morem fluminis ore fluent.  
 15 Hoc mihi si detur, regum confusa valet  
 16 ambitio et quicquid Persica regna tenent ;  
 17 nam quid, Xandra, tuae possum praeponere formae,  
 18 dummodo, quod cupio, sit tibi cura mei ?  
 19 Viderunt nitidas per florea prata napaeas  
 20 Naiades et vitreos cum subiere lacus,  
 21 at quae tam flavos crines collegit in auro  
 22 spargere vel ventis per sua colla dedit ?  
 23 Unicus in Veneris resplendet Lucifer orbe,  
 24 qui tamen occiduas, Hesperus, intrat aquas ;  
 25 at dominae nitida si quis sub fronte tuetur  
 26 aspiciet gemini lumina Luciferi.  
 27 Nec certet Sidon Sarrani muricis ostro,  
 28 purpureus superet ut sua labra color ;  
 29 nec putet aequales et densos vincere dentes  
 30 egregium quamvis India mittat ebur.  
 31 Mollius haec cygnis cantat ; sed nec sua cygni  
 32 colla tamen Xandra candidiora gerunt.  
 33 Quod si quis partes poterit vidisse latentes  
 34 invidiam summo concitet ille Jovi.  
 35 Haec mea perpetuis exurunt pectora flammis,  
 36 haec eadem vitae dant alimenta meae !  
 37 Quis neget hoc monstrum ? Sola est in pectore flamma,  
 38 quae vitae causa est, quae mihi causa necis.  
 39 Sed monstrum in terris nihil est jam. Majus amante,  
 40 nullum natura jus in amante tenet :  
 41 solus amans magno misere frigescit in igne,  
 42 aestuat horrenti frigore solus amans !  
 43 Ah quotiens stupui cum, crasso in carcere clausus,  
 44 vescerer aethereis, jam salamandra, cibus ;  
 45 obstupui posset propria cum sede revulsus  
 46 spiritus in dominae vivere corde meus.  
 47 Prodigiosa fides, et quod ventura Juventus  
 48 confictum falsis jam putet esse jocis,  
 49 terrenos artus, quamvis jam spiritus illos  
 50 liquerit, absenti vivere mente diu.  
 51 Ergo animo duplici vivis tu Xandra, meumque  
 52 exanimis vita corpus inane tenet.

## AD XANDRAM

X1\_6 v.1 Xandra mihi tantum quondam crudelis amata  
 2 quantum dilecta est femina nulla viro :

3 en erit ulla dies qua tu succurrere nobis  
 4 et tumidos fastus ponere, Xandra, velis ?  
 5 Anne ferox cursu semper perstabis eodem  
 6 nec disces animum flectere saeva ferum ?  
 7 Sed quid me macero, miserum ? Sperare quid ultra  
 8 fas puto ? Jam subito, jamque puella vale !  
 9 Dum licuit tecum felicia tempora vixi,  
 10 laetitia pleni dumque fuere dies ;  
 11 nunc vertis mores : ergo et vertenda voluntas.  
 12 Esto<que>. Jam nobis, jamque puella vale !  
 13 Te tamen et caeli sanctissima numina testor  
 14 me invitum faciem linquere, Xandra, tuam.  
 15 Sed tua me feritas moliri talia cogit :  
 16 cedendum nobis. Jamque puella vale !  
 17 Ah quotiens flebis misere quotiensque rogabis  
 18 ut redeam lacrimis, insidiosa, tuis.  
 19 Sed nil proficies : neque enim tolerare superbos  
 20 amplius est fastus. Jamque puella vale !

SENI SENARII AD IMITATIONEM PETRARCAE

X1\_7 v.1 Jam satis extremo fuerit servisse furori,  
 2 dum vigil insomnes poteram perducere noctes.  
 3 Sit satis heu frustra tantos tolerasse labores  
 4 ni cupiam hanc omnem vitam traducere luctu,  
 5 postquam sperata privas me, Xandra, quiete  
 6 atque jubes tota sic, o, lugere juvena.  
 7 Ah quot nostra tulit, norunt dii, Xandra, juvena,  
 8 quam tu perpetuo vexasti saeva furore !  
 9 Ergo quod restat, placidae donare quieti  
 10 fas erit, ac reliquas levius producere noctes,  
 11 insanum cum sit tam duro tempora luctu  
 12 perdere et nulla requie donare labores,  
 13 morte olim tantos placuit finire labores,  
 14 atque id fecissem prima, fera Xandra, juvena ;  
 15 sed spes semper erat posse hoc tua flectere luctu  
 16 pectora : nam numquam duxi talem esse furorem,  
 17 qui vel nostra dies vel posset pectora noctes  
 18 perdere et aeterna mentem privare quiete.  
 19 Sed postquam tecum stultum est sperare quietem,  
 20 nec mihi tam duro sunt praemia digna labori,  
 21 has statui curae meliori impendere noctes ;  
 22 quodque pudet prima non perfecisse juvena,  
 23 nunc faciam. Tu, Phoebe, tuo mea corda furore  
 24 incute ; nam tristes cupio nunc ludere luctus.  
 25 Praeteritos referam laeto jam tempore luctus,  
 26 Te duce, Phoebe. Tuo vati da, Phoebe quietem,  
 27 da mentem mihi, Phoebe, novam sanctumque furorem  
 28 inspira, ut vanos valeam enarrare labores,  
 29 ut nostris edocta malis ventura juvena  
 30 Teque, Cupido, dies fugiat, teque, improbe, noctes.  
 31 Cur unam de mille mihi saltem, improba, noctem,  
 32 qua mihi tam tristes licuisset ponere luctus ?  
 33 Huic ego praeteritae pensarem dura juvenae,  
 34 tempora et hanc solam possem preferre quietem

35 cunctis, quos olim pro te, mea Xandra, labores  
 36 excepi, duro correptus corda furore ?  
 37 Sed prius Aeolio crescent sub vellere noctes,  
 38 atque labor Phoebi poterit sibi ferre quietem,  
 39 quam furor aut luctus sinat hanc laetam ire juventam.

DE ALPHONSO CLAUDO AMATORE

X1\_8 v.1 Tres amat Alphonsus, quamvis sit claudus, amicas ;  
 2 sed sunt diversis (hoc dolet ille) locis.  
 3 Ambrosii prima est - ut ait - post limina divi :  
 4 pulchra licet, lusco nupta puella seni ;  
 5 in Transarnina spectabis classe secundam,  
 6 inter Carmelos Spirituamque domum ;  
 7 incola Galphundae nunc tertia, Braccia quondam  
 8 castra sequens, turmis vix satiata decem.  
 9 Has ergo octipedis fervent cum sidera Cancri  
 10 vix una cunctas luce videre potest ;  
 11 nam mane incipiens dum latum circinat orbem  
 12 vix valet hinc sera nocte redire domum.  
 13 Ergo cum venient angustae tempora brumae  
 14 et breve per spatium sol agitabit equos  
 15 unam sat fuerit sibi tunc si viset amicam  
 16 ire vel intorto desinat ille pede.

DE THEOLOGO CONTIONATORE LUXURIOSO

X1\_9 v.1 Insanis totam rumpit qui vocibus aedem,  
 2 pulpita quique manu concutit atque pede,  
 3 qui furit, exclamat, strepit, intonat omnibus unum  
 4 luxuriae crimen turpius esse ferens ;  
 5 hunc, moneo, vitate virum : licet ore rotundo  
 6 Chryssippi ritu tristia verba cadant.  
 7 Nam modo vittatae deprensus virginis aula  
 8 vix valuit missa carpere veste fugam ;  
 9 et nisi sublimi quod lapsus fune fenestra est  
 10 cantanda a pueris fabula nota foret.

AD LUPUM

X1\_10 v.1 In Transarnina cunctos se vincere classe  
 2 asserit antiqua nobilitate Lupus :  
 3 Hoc alii rident cum nec domus ulla paterna  
 4 sit sibi, nec patriam dicere possit avi.  
 5 Nobilis attamen es ; nam tota nullus in urbe  
 6 bardorum quam tu bardior esse potest.

AD BERNARDUM

X1\_11 v.1 Ne doleas versu quod epistola nostra secundo  
 2 claudatur, quoniam tu breviora facis !

## AD ALDAM

X1\_12 v.1 Esse tuum dicis quem dant unguenta colorem,  
2 Alda. Quod emisti, quis neget esse tuum ?

## AD LEONEM BAPTISTAM ALBERTUM

X1\_13 v.1 Ibis, sed tremulo libelle gressu,  
2 nam cursus pedibus malis negatur ;  
3 verum ibis tamen et meum Leonem  
4 Baptistam, Aonidum decus sororum,  
5 antiqua Aeneadum videbis urbe.  
6 Quid stas ? Quid trepidas, libelle inepte ?  
7 Cur non sumis iter ? Timesne tanti  
8 forsan iudicium viri subire ?  
9 Nil est quod timeas. Legit poetas  
10 doctos ille libens salesque laudat  
11 leves et placidos probat lepores ;  
12 sed nec raucidulos malosque vates,  
13 quamvis molliculi nihil bonique  
14 candoris teneant, fugit severus :  
15 laudat, si quid inest tamen modeste  
16 laudandum, reliquum nec usque mordens  
17 coram carpit opus, bonusque amice  
18 secreta monet aure nigrora,  
19 quae tolli deceant simulque verti  
20 albis carmina versibus. Suumque  
21 non hunc grande sophos decensque lusus,  
22 quamquam utroque valet nimis diserte,  
23 non Alberta domus facit superbum :  
24 cunctis est facilis, gravisque nulli.  
25 Hic te, parve liber, sinu benigno  
26 laetus suscipiet, suisque ponet  
27 libris hospitulum. Sed, heus, libelle,  
28 audin, nequitiae tuae memento !  
29 Quare si sapias severiores,  
30 quos ille ingenuo pios pudore  
31 multos composuit, relinque libros,  
32 et te Passeris illius querelis,  
33 doctis sive Canis jocis Hiberi,  
34 argutae lepidaeque sive Muscae  
35 extremum comitem dabis : superque est  
36 istis si potes ultimus sedere.

## QUAERIT SI QUA PERTURBATIONE SIT AFFECTUS

X1\_14 v.1 Si non vexat amor, quidnam mea pectora vexat ?  
2 Pergite Pierides, dicite quaeso, deae !  
3 Vel mihi, quid sit amor qualisve, referte Camenae,  
4 si mala tot nobis congerit asper Amor,  
5 si dulcis, dulci cur tot permiscet amara,  
6 dulcia vel qui dat, si sit amarus Amor,  
7 aut mihi si flammae consumunt corda volenti,

8           unde igitur nobis tanta querela venit ?  
 9           Invito vel si comburunt ossa calores  
 10          quid misero tantum proderit usque queri ?  
 11          Talibus, heu, fragili in lembo me fluctibus aequor  
 12          jactat et in scopulos jam ruit ipsa ratis.

AD THEOPLASMAM FRANCISCI CASTILIONENSIS AMICAM

X1\_15    v.1       Parce, precor, tenero suavique puella poetae,  
           2           Castilionensi jam, Theoplasma, tuo,  
           3           nec perdas per quem post fata novissima vives,  
           4           quique tuo faciet te superesse rogo.  
           5           Hic canet errantes per candida colla capillos,  
           6           sidereos oculos, oscula digna deo,  
           7           atque genas roseas, vultum incessumque decorum  
           8           pectora brumali candidiora nive.  
           9           Ast ita si miserum pateris, Theoplasma, perire  
 10          10          nulla tuo cineri fama futura venit.

AD SE IPSUM

X1\_16    v.1       Hactenus o lusi, satis est, lasciva Camenae  
           2           carmina, plusque satis me malus ussit amor !  
           3           Nunc meliore lyra, divae, meliora canamus,  
           4           nam satis atque super me malus ussit amor.  
           5           Dicamus caelum, caeli dicamus honores,  
           6           sitque mihi lacrimas promere posse pias.  
           7           Et tandem pigeat tantos sumpsisse labores  
           8           in cassum ; pigeat paeniteatque mei.

AD SE IPSUM

X1\_17    v.1       Quid facis infelix ? Quidnam Landine miselle  
           2           te juvat ad flammam addere ligna tuas ?  
           3           Quid laqueum texit quo mox capiaris et amens  
           4           jam referas dextra vulnera facta tua ?  
           5           Desine jam vanos tibimet nutrire dolores,  
           6           desine jam gratis tanta subire mala.  
           7           Pone modum lacrimis et quae deperdita cernis  
           8           perdita jam ducas, paeniteatque tui.

EPITAPHIUM IN LEONARDUM ARRETINUM

X1\_18    v.1       Hic cui frondenti nectuntur tempora lauro  
           2           Romanae linguae dos, Leonardus, erat ;  
           3           qui Florentini descripsit gesta Leonis,  
           4           transtulit et Latiis dogmata Graeca viris.

AD XANDRAM

X1\_19    v.1       Non ita gavisus Phrixo vellere Iason



2 cum cecidit magico Martia turba sono,  
 3 nec pius Aeneas cum jam defessa carina  
 4 tangeret optatos, regna Latina, locos ;  
 5 non ita gavisus est monstris erepta marinis  
 6 Andromede, matris crimine facta rea,  
 7 atque ego sum, posito cum post fera proelia bello  
 8 firmavit sancto foedere Xandra fidem.  
 9 Nam quibus, heu, curis quantoque urgente dolore  
 10 hactenus urebat pectora nostra calor,  
 11 nec mihi, Xandra, jugum collo exturbare licebat,  
 12 flectere nec lacrimis aspera corda piis.  
 13 At nunc iste dies longe felicitior omni  
 14 venit, quem nobis lactea gemma notet ;  
 15 candidus iste dies quo tu mitescere nobis  
 16 coepisti et vultu spem meliore dare.  
 17 Illa quidem fuerat nox pergratissima Nautae  
 18 qua potuit dominae concubuisse suae,  
 19 gratior at nobis et toto carior aevo  
 20 iste dies fuerit quo mihi laeta redis ;  
 21 nam tandem risum recipis, vultumque serenas,  
 22 rugaque de tota fronte repulsa fugit,  
 23 nec dedignaris nostros audire labores,  
 24 nec potes auditis dura manere diu.  
 25 Discite, contempti, quantum patientia possit :  
 26 frangitur assidua victa puella prece ;  
 27 praecipue nostris lacrimis mea Xandra movetur  
 28 et lacrimis victas praebet amica manus.

#### AD PHILIPPUM DE AMICA

X1\_20 v.1 Cum matutine peteres pia sacra, Philippe,  
 2 Luciae venit pulchra Ginevra simul,  
 3 nuda pedes, inculta comas, sine lege togata,  
 4 candelasque decem religiosa ferens.  
 5 Quae postquam ingressa est ornati tecta sacelli  
 6 effuditque preces ad simulacra deae,  
 7 substitit atque vagis oculis, cervice reflexa,  
 8 inter mille viros te studiosa legit.  
 9 Inde abitum simulans, ut se conjungat amanti  
 10 praeteriens tacito te premit illa pede,  
 11 atque tuo lateri, turba ut compulsas, cohaerens,  
 12 murmure depresso dixit : "Amice, vale !"

#### AD LUCINAM PRO PARTU XANDRAE

X1\_21 v.1 Ecce dies partus : properat Lucina puellae,  
 2 casta fave, partus ; advenit ecce dies !  
 3 Ergo laboranti, si vis me vivere, Xandrae  
 4 des, precor, auxilium subveniasque pie.

## LAUDES DIANAE

X1\_22 v.1 Candidae laudes, age, jam canamus  
 2 Musa, Dianae ! Nemus illa, Manes  
 3 inferos, caelum colit et serenum,  
 4 terna potestas.  
 5 O Jovis summi decus omne prolis,  
 6 virgo, quae fratrem modo nata diva  
 7 diligens partu relevas parentis,  
 8 lucida Juno ;  
 9 tu suis septem Niobem superbam,  
 10 ulta Latonam celeri sagitta,  
 11 filiis orbas prohibesque matris  
 12 numina temni.  
 13 Nec tuos ausus temerare fontes,  
 14 cernere et nudas vetito Napaeas  
 15 lumine Actaeon, meritas refugit  
 16 pendere poenas.  
 17 Nunc enim, prisca fugiente forma,  
 18 cornibus spargi comites stupebant ;  
 19 hic sibi notis canibus revelli  
 20 viscera sensit.  
 21 Nulla sed major tibi, Diva, venit  
 22 fama quam per te rudis insolenti  
 23 miles in partu, mea magna cura,  
 24 Xandra supersit.  
 25 Tu meae partus dominae dolentis  
 26 mitigas, felix, nimios dolores ;  
 27 tu sinu natum puerum benigno  
 28 laeta receptas.  
 29 Digne nunc tali puer o parente,  
 30 quem nec alatus superet Cupido,  
 31 sis, precor, matris decus et voluptas  
 32 maxima matris ;  
 33 namque tam cunctos roseis labellis,  
 34 candido vultu pueros praeibis,  
 35 quam parens cunctas superat nitenti  
 36 fronte puellas.

## AD BARTHOLOMEUM OPISCUM SCALAM

X1\_23 v.1 Desine jam leges nostro praescribere amori,  
 2 desine ! Solus amor nescit habere modum.  
 3 Quis modus aut Myrrhae cum matris adultera facta est,  
 4 aut quis Medae finis, amice, fuit ?  
 5 Quis modus aut Scyllae cum crinem dura puella  
 6 exsecat infami regna paterna manu ?  
 7 Solus amor vaccam ligno simulare dolato  
 8 Pasiphen jussit furtaque ferre bovis ;  
 9 Phyllida solus amor laqueo subnectit amaro,  
 10 dum tu Demophoon fallis inique fidem.  
 11 Sed quid femineos nunc est numerare furores ?  
 12 Adjicit hic superos in sua regna deos.  
 13 Nec puduit cygnum, paret cui regia caeli,  
 14 induere et plumis spargere membra novis ;

15 et crinitus oves ad flumina pavit Apollo,  
 16 ut posset dominae se refovere sinu,  
 17 inque jubas abiit magnus Saturnus equinas  
 18 vallibus Idaeis gramina pastus amans.  
 19 Nec matri deus iste suae, deus iste, pepercit :  
 20 illius imperium sensit et alma Venus.  
 21 Ah quotiens Paphon, quotiens sua regna Cythera  
 22 deseruit flammis jam calefacta novis !  
 23 Et modo Panchaeis demens errabat in agris,  
 24 cerneret ut vultus, pulcher Adoni tuos ;  
 25 et modo Myrrhae requiescens fessa sub umbra,  
 26 pectore fusa tuo basia mille dabat.  
 27 Nec visum indignum, niveos onerare lacertos  
 28 retibus et duro ducere monte canes,  
 29 nec suus a puero poterat divellere conjux,  
 30 non Mavors, quondam maxima cura sibi.  
 31 Quin etiam montes ac turpia lustra ferarum  
 32 praetulerat caelo praetuleratque Jovi.  
 33 Omnia formosum propter faciebat Adona :  
 34 tantum nostra valet vertere corda furor !  
 35 Ergo, Scala, meo leges imponere amori  
 36 desine ; solus amor nescit habere modum.

AD BARTHOLOMEUM OPISCUM SCALAM DE SUIS MAIORIBUS

X1\_24 v.1 Inquiris veteres ubi quondam, Scala, penates  
 2 majores norim composuisse meos.  
 3 Non ego Cecropia refero de stirpe parentes,  
 4 nec domus antiquos Julia praebet avos.  
 5 Nullus et egregios titulus mihi signat honores,  
 6 quos inhiat laudis ambitiosa sitis.  
 7 Tecta nec e Faesulis spectantur fulta columnis,  
 8 nec regum nobis arca recondit opes.  
 9 Tu tamen alma meis priscas, Florentia, sedes  
 10 spirituae classis non procul aede locas.  
 11 Est vicus Tusci Putei cognomine clarus,  
 12 urbis qui in laevo moenia colle videt :  
 13 hic tu Scala meae cernes primordia gentis ;  
 14 quamvis parva, tamen hic monumenta patent.  
 15 Nam licet ex humili populo mea surgat origo,  
 16 casta tamen semper et sine labe fuit ;  
 17 nec Musis odiosa piis nec inutilis armis,  
 18 nec venit haec patriae dissimulanda suae.  
 19 Hoc Campaldinae testantur funera pugnae,  
 20 tempore quo rubris fluxerat Arnus aquis :  
 21 namque huc Landinus, comitatus signa tribulum  
 22 quae velis niveis nigra flagella notant,  
 23 sumpserat a proprio non aspernanda tribuno  
 24 munera, dum caeso victor ab hoste redit.  
 25 Hic avus, o Francisce, tibi cui Musa canora  
 26 arte dedit priscos aequiperare viros,  
 27 nec magis Aoniae gaudent Amphione Thebae,  
 28 cum stupeant dulci saxa coisse lyra,  
 29 quam tua Tyrrheni soliti per templa, per aedes,  
 30 organa tam facili cernere pulsa manu.

31 Lesbous celeres cantu delphinas Arion  
 32 permulsit, vitreas dum rate findit aquas ;  
 33 at Rhodopes gelidis ducebat montibus ursos  
 34 Orpheus et fulvos per juga summa lupos.  
 35 Sed neque per silvas, neque per freta dulcius illo  
 36 hactenus audisse jurat Apollo melos ;  
 37 quin et adoptiva Musam de stirpe parentem  
 38 retulit et Musis dignus alumnus erat.  
 39 Sed simul, heu, nulli superi Dii cuncta dedere,  
 40 nullus et ex omni parte beatus erit.  
 41 Nam qui Sirenas superabat voce canoras  
 42 damnata aeterna lumina nocte tulit.  
 43 Non quia sic meritus fuerit : sed noscite quanta  
 44 Invidia livor infera regna premat.  
 45 Est inter Stygias Phthonem deterrima nymphas  
 46 tempora cui multus oraue pallor obit.  
 47 Hanc pater et Stygiae Phthonem dixere sorores  
 48 invida quod tristi fronte secunda videt.  
 49 Haec patrias primis tenebras jam liquit ab annis,  
 50 ausa per excelsas aetheris ire plagas ;  
 51 namque potest hominum res si turbare secundas  
 52 tunc fruitur proprio nympha maligna bono.  
 53 Ergo forte trium perscrutans fata Sororum  
 54 audierat Lachesis talia voce dari :  
 55 "Nascetur Faesula Franciscus origine tali  
 56 Dircaeum quali vidimus arte Linum."  
 57 Protinus <in>tumuit <ira> dea saeva suisque  
 58 supplicibus Clothon vocibus alloquitur :  
 59 "O dea, nam nulli vitae sub lumen ituro  
 60 te sine mortali janua prima datur ;  
 61 Castalii quae sacra colunt Heliconides antri  
 62 jam mira cupiunt arte parare virum.  
 63 Et cupiunt et tanta illas fiducia cepit  
 64 ut sibi, vel sine te, cuncta licere putent.  
 65 At tu ne quisquam quondam tua numina temnat,  
 66 ne lateat possit quid tuus orbe furor,  
 67 illius alterna damnabis lumina nocte :  
 68 sit Linus, ut jactant, dummodo caecus eat.  
 69 Hac olim Thamyrim poena afflixere Camenae,  
 70 certaret cantu cum superare deas.  
 71 Hac nunc illarum poena afficiatur alumnus,  
 72 sic tua qui spernat numina nullus erit."  
 73 Dixerat et partus maturi venerat hora  
 74 atque tuam, mater, Parca petebat opem.  
 75 Ergo ades et puero reseras dum limen, adempta  
 76 aetheris in lucem luce venire jubes.  
 77 Non tamen Aoniae caecum sprevere puellae,  
 78 nec puduit molli saepe fovere sinu.  
 79 Musarum silvis, Musarum montibus olim  
 80 lusit, Musarum captus amore puer.  
 81 Quin et Pierias, Phoebos ducente, per umbras  
 82 audivit sacros ex Helicone choros ;  
 83 audivit varia modulantes voce sorores :  
 84 haec ore, haec tibiis, concinit illa fide.  
 85 Atque hic disparibus nato distincta cicutis  
 86 organa porrexit Calliopea suo,

87       atque ait : "Ausonias, sume haec, i nate per urbes,  
 88           i nostras laudes, nostraque facta cane.  
 89       Tanta hic carminibus tibi gloria surget Etruscis,  
 90           Thraicii quanta carmine vatis erat.  
 91       Nam mire Tusco vivens celebraberis Arno,  
 92           Lydia qua fulvus temperat arva leo.  
 93       Nulla dies sacrum poterit subducere nomen,  
 94           sed tua post major funera crescet honos.  
 95       Nec mater de te quicquam mentita : suisque  
 96           egregiam verbis facta tulere fidem.  
 97       Namque Fluentini solus dum cantibus aedem  
 98           Pontificis celebras, Tuscia tota ruit ;  
 99       teque rudes doctique simul, juvenumque senumque  
 100           pectora divinis obstupuere sonis.  
 101       Sed nec tu fueras una contentus in arte  
 102           cum posses veterum dogmata nosse patrum.  
 103       Nam solers rerum causas penitusque repostae  
 104           naturae occultas tendis inire vias ;  
 105       et quod terrenis oculis vidisse negatum est  
 106           cernere mente parens Calliopea dedit.  
 107       Jamque tuum nomen duras transcenderat Alpes  
 108           oraque compleerat trans freta longa virum.  
 109       Quin et marmoreo moriens donare sepulcro,  
 110           quod nunc Laurenti templa vetusta tegunt ;  
 111       templa tegunt quae mox Cosmus suffulta columnis,  
 112           fornice sublimi conspicienda dabit.  
 113       Tunc licet aurato niteant laquearia tecto,  
 114           et Faesulus multa splendeat arte lapis,  
 115       non tamen e media quoquam removeberis aede,  
 116           nec volet hoc, doctis qui favet ingeniis ;  
 117       nam favet ingeniis Cosmus quin luce carentum  
 118           inviolata loco busta manere jubet.  
 119       Aeternum, Francisce, igitur per saecula vives,  
 120           et tuus Elysium spiritus arva colet.  
 121       Sed nec degeneres referet tibi fama minores,  
 122           nullaque de turpi posteritate nota est.  
 123       Nam tibi germanus fuerat, cui cara nepotem  
 124           progenies magna non sine laude dedit ;  
 125       nam Gabriel quem sorte sua Camaldula legit  
 126           religio, niveis conspicienda togis,  
 127       Ambrosio primos nutritus lacte per annos,  
 128           roscida Gorgoneis antra subivit aquis.  
 129       Hinc fidibus proceres caeli laudavit et illos,  
 130           militiam summi qui meruere Dei,  
 131       qui nobis patriam, pro Christo vulnera passi,  
 132           sanguine divinam jam peperere suo ;  
 133       mox dum Parrhasiae, Pisano in litore, gentis  
 134           victa Fluentino moenia Marte canit,  
 135       ante exspectatum, juvenilibus obrutus annis,  
 136           deserit heu quanto proelia coepta pede.  
 137       Sic nobis, Gabriel, prima fraudate juvena,  
 138           complesti luctu saucia corda gravi ;  
 139       nam tibi me Musae, tibi me patruelis origo  
 140           junxit et ex uno sanguine ducta domus.  
 141       Tu me Musarum magno inflammatus amore,  
 142           Cirrhaei impuleras scandere celsa jugi.

143 Te duce Permessi liquidas ad fluminis undas  
 144 venimus et sacro tinximus ora lacu.  
 145 At nunc si Phoebus velit aspirare canenti,  
 146 magnorum ut possim dicere facta virum,  
 147 si qui rauca canit gracili nunc carmina plectro,  
 148 intonet altiloquo major in ore sonus :  
 149 Cosmus et egregii cernent me pignora Cosmi  
 150 a patribus nusquam degenerasse meis.

## DE XANDRA

X1\_25 v.1 Nunc virent silvae, nemus omne frondet,  
 2 ridet et tellus variisque frontem  
 3 floribus pingit, fugiuntque nubes  
 4 montibus altis.  
 5 Naiades laetas agitant choreas  
 6 Gratiis passim Satyrisque mixtae  
 7 et comas flavas religant corona  
 8 versicolore.  
 9 Concidunt venti, levis afflat aura ;  
 10 parcit atque haedis lupus et capellis,  
 11 Nostra dum celsas Faesulas frequentat  
 12 candida Xandra.  
 13 Nunc suos tristis Philomela luctus,  
 14 immemor stupri simul et nepotis,  
 15 ponit et versus modulans sonoros  
 16 cantat amores.  
 17 Gaudet et fructu segetis colonus  
 18 horreum quaerens ubi farra condant,  
 19 gaudet et Baccho nimium feraci  
 20 vinitor uvae.  
 21 Hos tamen montes mea si relinquat  
 22 Xandra, si Tuscae revocetur urbi,  
 23 arbores siccas videas et ipsa  
 24 flumina sicca.

## AD GINEVRAM

X1\_26 v.1 Flavis crinibus aureisque pulchra  
 2 et nigris oculis, gena nitenti,  
 3 et tota facie nimis superba,  
 4 incedis tetrico, Gineura, vultu.  
 5 Et nostras tibi cura nulla flammis  
 6 est restinguere, nec meo dolori  
 7 succurris, nimis ah nimisque saeva !  
 8 Sed fastus inimica saepe duos  
 9 opponis mihi saevior leaena,  
 10 quam caris catulis modo repertis  
 11 venator Libyca ferox harena  
 12 orbavit, paterisque me jacere  
 13 una pervigilem alterave nocte,  
 14 duro in limine, dum tuos recludi  
 15 postes auguror et tuum, Gineura,  
 16 adventum nimio moror periclo.

17 At tu, si libuit venire tandem,  
 18 postquam septima jam hora praeterivit  
 19 accedis, neque postibus reclusis ;  
 20 sed mecum bene tuta per fenestram  
 21 aeratam loqueris mihi, satisque  
 22 factum si semel auream papillam  
 23 et pectus niveum simul gulamque  
 24 pulchram tangere vel manu sinistra  
 25 magno contigerit labore credis,  
 26 aut si levibus osculum labellis  
 27 impressi tibi, tu cito reclamas.  
 28 Ah quanti sibi Gabriel beatas  
 29 istas nunc emat osculationes,  
 30 cui numquam digitum mihi minorem  
 31 attrectare semel fuit potestas !  
 32 Verum si tibi flavuli capilli,  
 33 auro qui similes modo refulgent,  
 34 in canos abeant, Gineura, crines ;  
 35 dentes si niveos eburneosque  
 36 liventes maculae nigraeque fuscent ;  
 37 vel nunc qui roseis genis nitentes  
 38 vernant multiplici decore flores  
 39 perdat stridula conteratque bruma ;  
 40 si testudineo peraequa collo  
 41 cervix cygnea, fiat atque suci  
 42 plenas turgidulasve si papillas  
 43 nutricis similes geras papillis,  
 44 sulceturque frequentibus misellus  
 45 venter partibus utriusque fiat  
 46 rugosis similis malumque plenis ;  
 47 totum denique si tibi maligna  
 48 quod nunc luxuriat suo nitore  
 49 corpus conficiat situ senectus,  
 50 heu quantis lacrimis quibusve, demens,  
 51 flebis spreta modis, amante nullo  
 52 jam te respiciente. Tunc equarum  
 53 te vexabit, anum, furens libido,  
 54 et circa jecur, usque saeviendo  
 55 flagrans crescet amor, tibi que nullus  
 56 turpem subveniet timens senectam.  
 57 Demum tunc, posita ferocitate,  
 58 ultro nos, nimis ah nimisque supplex,  
 59 accedes placidaque voce quondam  
 60 noctes reddere mi voles negatas.

## DE REDITU XANDRAE

X1\_27 v.1 Corve quid dextrum crepitante rostro  
 2 mi latus stringis celerique penna  
 3 cur feris nostros humeros sinistrum  
 4 garrula cornix ?  
 5 Cernimus ? Vel qui misere premuntur  
 6 semper a duro nimioque amore,  
 7 dum suis curis cupiunt mederi,  
 8 somnia fingunt ?

9 Cernimus certe : redit ecce nobis  
 10 rure materno, mea magna cura,  
 11 Xandra. Nunc omnis timor atque tristis  
 12 luctus abito !

## AD XANDRAM

X1\_28 v.1 Maxima pars nostri, pulcherrima Xandra, doloris,  
 2 qua sine nec Croesi regia tecta velim,  
 3 quando tuam faciem nullo prohibente licebit  
 4 aspicere et coram mitia verba loqui ?  
 5 Namque tuo postquam invitatus sum, Xandra, revulsus  
 6 aspectu, semper vita molesta fuit.  
 7 Nec mihi cura cibi, placidae nec cura quietis  
 8 sed lacrimae tantum pocula nostra parant ;  
 9 nec blandi comites durum lenire dolorem,  
 10 altera nec, quamvis pulchra, puella potest.  
 11 Ah quotiens totas insomnes ducere noctes  
 12 cogimur et curis invigilare tuis !  
 13 Et nunc qui vultus, quae sit tibi gratia formae  
 14 nunc memini, qualis rideat ore nitor,  
 15 sideribusque oculos similes et cycnea colla  
 16 et niveum pectus, pectora nostra domans.  
 17 Et memini cantum quo se pulcherrima victam  
 18 non, modo sit verax, Calliopea neget ;  
 19 et memini in numerum soleant ut mollia crura  
 20 ludere et in girum molliter ire pedes.  
 21 Omnia quae memori monitus dum mente retracto  
 22 materiam, infelix, ignibus addo meis.  
 23 Sic infelices nostros nutrimus amores,  
 24 Gaudia praeteriti dum meminisse juvat,  
 25 inque dies crescunt flammae penitusque medullas  
 26 exurunt : roseus deserit ora color  
 27 pallentemque utinam faciem nunc cernere possis,  
 28 quantaque mi macies squalida membra notet !  
 29 Sed quamvis multae vexent mea pectora curae,  
 30 unum est quod doleam, candida Xandra, magis ;  
 31 vidi ego saepe : novis veteres tolluntur amantes,  
 32 et longinqua minus flamma caloris habet.  
 33 Non tamen hoc timeo tibi vel quia mobile pectus  
 34 vel precibus vinci muneribusve putem ;  
 35 namque hoc magna Venus novit, Venerisque Cupido,  
 36 te nihil in casta sanctius esse fide.  
 37 Nullus nec donis turpi te subdet amori,  
 38 quin sis perpetua nota pudicitia.  
 39 Auratis non te vincet Pactolus harenis,  
 40 divite non quicquid devehit amne Tagus.  
 41 Sed tamen, heu fateor, timeo : licet ipsa timoris  
 42 vana sit, est tanti causa timoris amor.  
 43 Quod te per sanctum carae genitricis amorem  
 44 et per germanam, quae tibi dulce caput,  
 45 perque meas lacrimas, lacrimis oculosque madentes,  
 46 et tua per geminas lumina clara faces,  
 47 Xandra precor, nostri veniat non immemor hora,  
 48 ulla tibi maneat non temerata fides,



49 Landinumque tuum memori sic mente reponas,  
50 ne subeat pectus cura secunda tuum.

## AD BERNARDUM

X1\_29 v.1 Dum tu grandiloqui divina volumina Tulli  
2 perlegis et quicquid Quintilianus habet,  
3 dumque genus causae dubium variosque colores  
4 et discis quae sint arma ferenda reis,  
5 vel si quando juvat mentis seponere curas -  
6 nam permixta licet seria ferre jocis -  
7 ad Lisam properas : Lisa est tibi sola voluptas,  
8 dimidium vitae, candida Lisa, tuae.  
9 Illa quidem nitidis placide te aspectat ocellis,  
10 felicem risu te facit illa suo ;  
11 saepeque per rimam furtim tibi verbula dictat,  
12 tangendam furtim porrigit illa manum ;  
13 nos procul a nostra, dulcis Bernarde, puella  
14 cogimur insani discere jura fori.  
15 At si quando vacat, cum turba molesta quievit,  
16 litibus et scissis omnia clausa silent,  
17 protinus ad nostras avidus me confero Musas,  
18 quarum immortalis pulsus amore feror.  
19 Tum me Parnasi stupidum per devia montis  
20 raptat honorati turba canora lacus,  
21 et levibus contexta modis mihi carmina dictat,  
22 atque jubet sumpta ponere moesta lyra.  
23 His nos Xandrinum studiis solamur amorem,  
24 his desiderium, Xandra, rependo tuum.  
25 Tristibus atque elegis insanos ludimus ignes,  
26 et resonat Xandram pagina tota mihi.  
27 Illam me Phoebus prima sub luce canentem  
28 invenit et seras cum subit udus aquas.  
29 Nec tantum Eurydices discessu fleverat Orpheus  
30 cum peteret Stygios icta dracone lacus,  
31 quantum ego nunc a te spatio diductus iniquo,  
32 Xandra ; sed hic magno grandius ore sonat.  
33 Quippe ferunt vires Musae spiratque furorem  
34 divinum nato Calliopea suo ;  
35 et dat carminibus saevos mollire leones,  
36 Pangaeoque feros ducere monte lupos.  
37 At me Castalio dignata est nulla sororum  
38 fonte, nec Aonium tangere passa nemus.  
39 Ergo sic rauco dicemus pectore laudes,  
40 Xandra, tuas, doctum quae meruere Linum.  
41 Dicemus tamen : et quod nobis invida non dat  
42 natura, ingenium, tu mea Xandra dabis.

## AD IOHANNEM ANTONIUM

X1\_30 v.1 Prime nostrorum comitum, Johannes,  
2 sive tu collem fluvio imminentem  
3 Puppii, dulcem patriam, frequentas  
4 laetaque rura,

5 deque vinetis volucres propinquis  
 6 retibus pingues recipis dolosis,  
 7 et cani suades leporum fugacem  
 8 vincere cursum,  
 9 sive te magnus remoratur urbis  
 10 ardor Etruscae, comitumque laetus  
 11 detinet sermo, faciesque pulchra  
 12 dulcis Horectae ;  
 13 oro, si nostri manet ulla cura,  
 14 si tuus non me fugit omnis ardor,  
 15 redde me certum, valeasne nostri  
 16 numquid amici.

## AD LEANDRAM

X1\_31 v.1 Misisti mentam, credo, hac ratione Leandra,  
 2 ut caperes nostra tu quoque dona manu.  
 3 Ast ego muneribus vincam te, namque virenti  
 4 nunc tibi pro menta mentula nostra venit.  
 5 Nam mage ruta licet quam rutula cara puellae est,  
 6 mentula quam menta carior esse solet.

## AD ANASTASIUM

X1\_32 v.1 Dicis, Anastasi, nostros te optare libellos,  
 2 et mea vis posita carmina adesse mora.  
 3 Dispeream versus cupiam ni mittere : at illi  
 4 jam nequeunt claudi taedia ferre viae ;  
 5 tristia praeterea tam sancti iudicis ora  
 6 cum sint lascivi se tolerare negant.

## AD LIBRUM

X1\_33 v.1 Si nec Pierides, nec te defendit Apollo,  
 2 et vestire piper, claude libelle, times,  
 3 certa salus restat : cautus sic ampla subintres  
 4 atria, nec Medicos egrediare Lares.  
 5 Namque illic tutus, tanta et securus in arce  
 6 ridebis vulgi scommata dura levis.  
 7 Sic te de sacro nullus deducet asylo,  
 8 nec feret audaces in tua terga manus.  
 9 Quod si Maecenas te noverit atque severus,  
 10 heu, dignum tanto non putet hospitio,  
 11 tunc demum claudio Veneris sua sacra marito  
 12 confice : Vulcano vindice tutus eris.

## LIBER SECUNDUS

## AD PETRUM MEDICEM

X2\_1 v.1 Nostri certa salus, Medices, quo sospite numquam  
 2 defuerunt sacris praemia virginibus,  
 3 quo duce Tyrrhenis deductum montibus Arnun  
 4 praeferet Aoniis turba canora jugis ;  
 5 publica si quando cessant tibi munera et audes  
 6 instaurare brevi seria longa joco,  
 7 ne pudeat nostros percurrere, Petre, libellos,  
 8 et nugas hilari fronte probare meas.  
 9 Magnos magna decent, fateor : tamen haec quoque fessos  
 10 quae reparent animos, ne fugienda putes.  
 11 Scipio nam quantus, cessit cui Punica virtus,  
 12 fortia cum Libyci contudit arma ducis ;  
 13 hunc tamen in placido viderunt otia ludo  
 14 ostrea Campano spargere lecta salo.  
 15 Tristius in terris quam Stoica dicta Catonis,  
 16 nil Danai, Latii nil meminere viri ;  
 17 hic tamen ad multam conviviam ducere noctem,  
 18 et solitus curas saepe levare mero.  
 19 Sic tu, quo magni populi flectuntur habenae,  
 20 dum legis haec, sanctum pone supercilium.  
 21 Saepe tibi reditus, Petre, ad majora dabuntur,  
 22 si reparas mentem, qua geris illa, jocis.

## AD PETRUM MEDICEM

X2\_2 v.1 Carminibus nostris veniet tibi si qua voluptas,  
 2 ut releves animum, carmina nostra leges.  
 3 Quod si nec salibus poterunt ullove lepore  
 4 te retinere, Petre, tu tamen illa leges.  
 5 Sic rex Peliacus quamvis non docta poetae  
 6 suscepit laeta carmina fronte tamen,  
 7 et magis officium studiosi hunc movit amici  
 8 quam tardum vatis laeserat ingenium.  
 9 Ergo non munus, sed dantis munera mentem  
 10 inspice ! Sicque libens carmina nostra leges.  
 11 Nam tam magnificus non est qui maxima donat,  
 12 quam qui parva libens sumere dona potest.

## CONTRA AVAROS

X2\_3 v.1 Divitias vobis varis quaerantur, avari,  
 2 artibus, ut multas arca recondat opes.  
 3 Atque alius terras primo sub sole calentes  
 4 et petat Eoo litora juncta salo.

5 Alter ad extremas Hispani gurgitis urbes  
 6 merce gravem Tusco solvat ab amne ratem,  
 7 adversasque hiemes durus fluctusque marinos  
 8 sustineat navi saepe labante miser.  
 9 Ast hic militiae saevos tolerare labores  
 10 discat et ad sonitum castra movere tubae,  
 11 saepeque brumales horrenti sub Jove noctes  
 12 exigat aut pluvio sidere currat iter.  
 13 Quid tamen hinc pretii post tanta pericula vitae  
 14 proveniet ? Semper ut miser esse velim !  
 15 An tanti est digitos nitidis ornare lapillis,  
 16 vel Tyrio bibulam murice ferre togam ?  
 17 Verum agite, o cupidi : sed quantum crescet acervus  
 18 nummorum, tantum crescet avara sitis.  
 19 Sollicita assiduis involvite pectora curis,  
 20 nec veniat vobis laetior ulla dies.  
 21 Me nec pauperies, nec tristior ulla cupido  
 22 impellet patrio longius ire solo.  
 23 Quod mihi si Musis fieri contingat amicum,  
 24 illarumque meo si sonet ore furor,  
 25 tunc ego Persarum ditissima limina regum  
 26 ridebo, aut siquid pulchrius Indus habet.  
 27 Tunc dignum nostra carmen cantare puella  
 28 dulce erit, et dominae sic placuisse meae ;  
 29 tunc tua forma meis nitide depicta libellis  
 30 diffugiet nigros, aurea Xandra, rogos.  
 31 Verum agite, o Musae, mihi maxima numina, Musae,  
 32 jam liceat vestro pellere fonte sitim !  
 33 Me vestrum ventura aetas cognoscat alumnum,  
 34 eductum vestris sentiat esse jugis.  
 35 Quod si me indignum vos tanto munere, divae,  
 36 ducitis et nostri gratia nulla movet,  
 37 Hoc saltem tali libeat praestare puellae :  
 38 non mihi, sed dominae carmina vestra peto.  
 39 Quae si forte suo sic defraudetur honore,  
 40 invidia nemo vos caruisse putet.  
 41 Castior haec Helene est ; fuerat nec pulchrior illa,  
 42 Smyrnaeam potuit quae meruisse tubam.

## AD XANDRAM

X2\_4 v.1 Callimachus roseam Graia testudine nympham  
 2 et dominae lusit cycnea colla suae.  
 3 Dicere sed Latio voluit te, Cynthia, plectro  
 4 hic, cujus nota est Asis ob ingenium.  
 5 At Petrarca tuas versu cantavit Etrusco,  
 6 Laura, comas : doctus carmina docta facit.  
 7 Lauram cantavit, qua se sua Gallia jactet  
 8 et nuribus Tuscis cedere velle neget.  
 9 Ast ego nec Graia cithara nec posse Latina  
 10 sat videor : Tusce carmina nulla cano.  
 11 Et tamen imperium dominae sua colla volentis  
 12 dicier in versus surgere saepe jubet.  
 13 Quid faciam ? Pudor est indictum linquere crinem,  
 14 possit Apollineas qui superare comas,

15 nec narrare manus longas et lumina nigra,  
 16 labraque Paestanis non imitanda rosis.  
 17 Verum Scipiadae gracili tam grandia facta  
 18 ausus erat priscus ore poeta loqui,  
 19 facta Sophocleo dignissima syrmate condi  
 20 exiguo versu dicere non potuit.  
 21 Teque ego, Xandra, canam. Proh sors indigna duorum !  
 22 Huc se debuerat Mantua docta dare.  
 23 Ille duces vicit Latio Romaeque tremendos,  
 24 te virtute prior nulla puella fuit.  
 25 Nam neque tam moveor taurinis captus ocellis,  
 26 ista satis quamvis causa furoris erat,  
 27 quam quod nec mores desunt in cuncta venusti,  
 28 libera nec quicquid nosse puella velit.  
 29 Sive illam videas tractantem seria, dices  
 30 Pallada nequicquam posse decere magis ;  
 31 sive jocos, sed quos laudet censura priorum,  
 32 credas tunc Iulos illius ore loqui.  
 33 Cantat ut invidia possit torquere sorores  
 34 Aonias, Phoebi vel superare lyram.  
 35 Cedite jam Charites, nam vobis doctior una est,  
 36 quae movet ad numerum nostrapuellae pedes.  
 37 Huic pudor in faciem ducit persaepe colorem,  
 38 qualem purpureas cernis habere rosas ;  
 39 sed pudor ingenuus subtingens ora genasque,  
 40 quem nimis amota rusticitate decet.  
 41 Quando gravis cuiquam, quando non cuncta modeste,  
 42 quando loquax visa est, aut taciturna nimis ?  
 43 Haec possunt silices, haec ferrea pectora, tigres,  
 44 flectere et hirsutas cogere amare feras ;  
 45 nedum me, facilis molli quem pectore finxit  
 46 natura atque Erato mollia corda facit ?

## AD XANDRAM

X2\_5 v.1 Ergo sic nostrae transibunt dura juventae  
 2 tempora ? Nec fiet mitior illa mihi ?  
 3 Hocne fides meruit, qua me saevissima, numquam  
 4 notior in terris ullus amator erit ?  
 5 Sed te non lacrimae non verba precantia flectunt,  
 6 non animum mollit nostra querela tuum ;  
 7 cedam ego : nam furor est tali servire puellae,  
 8 ferrea quae duro pectore corda gerit.  
 9 Jam tibi, jam liceat, miser o Landine, catenas  
 10 frangere et a duro demere colla jugo :  
 11 sed nimis, heu, sero datur haec medicina furenti !  
 12 Jam mea sanari vulnera nulla queunt.  
 13 Tunc potui, recta rectus dum mente vigebat  
 14 sensus et intacto pectore liber eram ;  
 15 nunc qua ducit amor, qua me rapit, usque sequendus :  
 16 Heu nimium nobis imperiosus amor !  
 17 Ille quidem felix divisque beatior ipsis,  
 18 qui fugit imperium, saeve Cupido, tuum.  
 19 Hem, quibus annexi vinclis urgemur amantes,  
 20 hem quibus addictos legibus esse juvat !

21 Est puer, est caecus, cui nos parere necesse est ;  
 22 sed puer et caecus nocte dieque premit.  
 23 At verum fatear : nostra est haec culpa. Quis illum  
 24 arguat ? Invitus non jubet ille puer.  
 25 Nostra nimis nobis nocet indulgentia ; pectus  
 26 otia ni teneant, nullus adibit amor.  
 27 Haec possunt dulci venas complere veneno,  
 28 ignibus haec praebent semina magna malis.  
 29 Immo potens deus ille puer, cui caetera cedunt  
 30 numina ; quem summus Juppiter ipse timet.  
 31 Es pharetra et certa trepidandus, Phoebe, sagitta,  
 32 qua tumidae Niobes pignora multa jacent ;  
 33 non tamen his armis stimulos arcere molestos,  
 34 nec potes ardentis pellere corde faces.  
 35 Mille quidem jactet Mars se obtruncasse Gigantes,  
 36 Terrigenum timuit cum fera bella polus ;  
 37 hic tamen et faculis pueri, puerique pharetris  
 38 cessit et, heu, superis fabula nota fuit.  
 39 Quid Venerem matrem, quid te Neptune, quid illum  
 40 nunc referam, falsi quem juba textit equi ?  
 41 Cuncta Cupidineae possunt vincire catenae :  
 42 stultus erit qui te deneget esse deum.  
 43 At mihi si liceat vinclis impune solutis  
 44 nunc animi certo vivere consilio,  
 45 non tamen ipse meam cupiam fugisse puellam ;  
 46 libertas tanti non erit ulla mihi.  
 47 An ego tam demens, tales ut linquere ocellos  
 48 atque tua forma, Xandra, carere velim ?  
 49 Sis, licet, et Daphne penitus crudelior ipsa,  
 50 aut quae Mercurio clausit amoris iter ;  
 51 immitis nobis fastus obpone superbos,  
 52 inque meum exerce tristia jura caput.  
 53 Haec satius multo tibi me tolerasse putabo  
 54 alterius firmam quam coluisse fidem.  
 55 Quod me si primis properas extinguere in annis,  
 56 nil ego de fati quod querar inveniam.  
 57 Nam Paris atque Hector, magnae pars optima Trojae,  
 58 et Grai ad Trojam tot cecidere duces ;  
 59 semina tam dirae cladis tribuisse Lacaena  
 60 fertur, nec Xandra pulchrior illa fuit.

AD PETRUM MEDICEM DE SUIS ET MAECENATIS LAUDIBUS

X2\_6 v.1 Purpureis semper vident tibi busta rosetis,  
 2 inque tuum tellus sit levis usque caput,  
 3 ulla nec Elysios passim celebrata per agros  
 4 quam tua, Maecenas, rideat umbra magis,  
 5 Maecenas, inopes quondam miserate poetas,  
 6 Maecenas Phoebi Pieridumque decus !  
 7 Te duce grandisonans consurgit in arma virumque,  
 8 olim qui denas vix cecinisset oves.  
 9 Alter erat tenuis pauper praeconis alumnus,  
 10 cujus erat Lalagen dicere posse labor ;  
 11 hic ubi Campanos a te deductus in agros  
 12 pauperiem verso sensit abire pede,

13 protinus heroum Lesboo carmine laudes  
 14 et superum cecinit dulcia furta deum :  
 15 nec mirum, tristi pulsus e pectore curis  
 16 libera si tantum mens agitabat opus.  
 17 Sed nunc Maecenas Tyrrhenis alter in oris  
 18 conspicitur, claris qui favet ingeniis.  
 19 Vos modo sublimi, vates, consurgite versu,  
 20 qui cupitis sacra cingere fronde caput,  
 21 sive Sophocleis libet haec cantare cothurnis,  
 22 seu juvat Aonii ludere more senis.  
 23 Nam Medicum Fesulis stabunt dum fulta columnis  
 24 atria magnanimis concelebrata viris,  
 25 nec vos materies nec merces carminis unquam  
 26 deseret : hoc virtus praestat utrumque Petri.  
 27 Ille colit Musas, doctos colit ille poetas,  
 28 unquam nec merita laude carere sinit.  
 29 Nam novit quaecumque armis, quaecumque togata  
 30 pace gerant clari nobilitate viri,  
 31 ni fuerint magno Musarum fulta favore,  
 32 tendere in aeternum non reditura situm.  
 33 Ergo colit doctos, doctorum et carmine vatium  
 34 quae sint digna cani, maxima facta gerit.  
 35 Nusquam magnanimo genitus fortique parente  
 36 inceptis gravibus degener ipse fuit.  
 37 Nam tantum emicuit juvenili in pectore quondam  
 38 consilium, quantum vix solet esse seni.  
 39 Inque dies crevit virtus crescentibus annis,  
 40 seque tulit gradibus accumulata novis.  
 41 Unde et maturo gravior cum accesserat aetas,  
 42 nam cuncta ex usu mens meliora facit,  
 43 quid mage jam sanctum vel quid divinius unquam  
 44 Lydius Etrusca vidit in urbe leo ?  
 45 Ergo agite, o vates, sublimi insurgite versu,  
 46 seu libeat natum dicere sive patrem,  
 47 jam canite altisono Medicum pia carmine facta,  
 48 quis servata salus saepe fuit patriae.  
 49 Et si vos patriae pietas tenet ulla, parentes  
 50 jam patriae versu concelebrate novo.

## AD XANDRAM

X2\_7 v.1 Quarta nimis misero mihi jam devolvitur aestas  
 2 ex qua, Xandra, tuus me male vexat amor ;  
 3 talis amor qualem nec mater sensit Amoris,  
 4 cum stupuit vultus, pulcher Adoni, tuos ;  
 5 Pontica nec qualem sensit male sana puella,  
 6 Aesonidae timuit cum juga saeva suo.  
 7 Ardebant ambae misere, penitusque medullas  
 8 exurens ibat tosta per ossa calor.  
 9 At mea si spectes quantae praecordia flammae  
 10 involvant, quantis ignibus urat amor,  
 11 ultima jam nostri poterit scintilla caloris  
 12 Colchidos et Veneris exsuperare faces.  
 13 Me miserum ! Non ora cibus, non lumina somnus  
 14 intrat et in toto corpore nulla quies.

15 Multaque jam fractum quassant suspiria pectus :  
 16 sic miser in luctu tempora nostra tero.  
 17 Ah quotiens totas gelido sub sidere noctes  
 18 egimus ante tuas, dura puella, fores,  
 19 tristiaque in junctos torquens convicia postes  
 20 lugebam misero limina clausa mihi !  
 21 Heu, modo vernali suspendi flore coronas,  
 22 intexens rubris lilia cana rosis,  
 23 et modo per rimam tenui sub voce querelas  
 24 immisi et tenui verba notata sono.  
 25 At cecini surdae ; nam cum tibi carmina dicto,  
 26 protinus aspideis auribus ista caves.  
 27 Sed jam tam saevo subducere lintea vento  
 28 Tempus adest ; portum fessa carina petat !  
 29 Tempus adest requiem tanto praestare labori,  
 30 Nostraque disrupto solvere colla jugo ;  
 31 seu juvat aeterno pectus damnare furore,  
 32 altera mi dabitur, quae velit esse mea.  
 33 Tu, quamvis tibi sim marcenti vilior herba,  
 34 nec nostrae tangant pectora dura preces,  
 35 amissum frustra quondam revocabis amicum ;  
 36 ista tibi penitus verba superba cadent.  
 37 Novi ego : poscentes semper lusistis amantes,  
 38 irrisae cupitis sponte subire viros.  
 39 Oenone Paridem nimium patienter amavit,  
 40 dum putat igne suo posse perire Parim.  
 41 Ast ubi Tyndaridos juvenis succensus amore  
 42 Iliacas movit per freta longa rates,  
 43 tum primum damnasse suos, male saucia, fastus  
 44 dicitur et flammis incaluisse novis.  
 45 Tum primum penitus non indulsisse furori  
 46 et doluit lentae damna subisse morae.  
 47 Ah quotiens patris recubans resupina sub antro  
 48 torsit in absentem talia verba Parim :  
 49 men refugis tanto, crudelis, flumine natam,  
 50 qua sine jurabas posse placere nihil ?  
 51 Illa ego, si nescis, sum quam laudare solebas,  
 52 praeferre et cunctis, perfide, Naiadibus.  
 53 Nunc aliam sequeris, pro qua Trojana juvenus  
 54 occidat et Priami Pergama celsa ruant.  
 55 Talibus implebat juga proxima saepe querelis,  
 56 et gemitum audierat jam nemus omne suum.  
 57 Quin etiam lacrimis fluvios auxisse paternos  
 58 fama fuit : tantus sensibus ardor erat.  
 59 Non tamen his lacrimis Phrygiam retinere carinam,  
 60 nec Paridos potuit sistere vela sui.  
 61 Ergo si sapient, fastus fugisse decebit  
 62 pulchras : pulchra licet, nulla superba placet.  
 63 Quod si jam nobis advertis mitius aures  
 64 et flectis precibus pectora, Xandra, meis,  
 65 quod mihi cumque olim dabitur, pulcherrima, vitae -  
 66 scribam sic - nobis nostra puella dedit.



## DESCRIPTIO MONTIS ASINARII AD LAURENTIUM CRESCIUM

X2\_8 v.1 Est mons aeternum tribuit cui nomen asellum,  
 2 quem Tusca octavus signat ab urbe lapis.  
 3 Hinc densis tegitur silvis et mollibus umbris,  
 4 floribus hinc rident prata decora novis.  
 5 Nec non et varii passim per gramina rivi  
 6 scabra inter rauco murmure saxa fluunt,  
 7 et purum innumerae circum sua rura volantes  
 8 effundunt liquido gutture carmen aves.  
 9 Verticis at summo reginae Virginis aram  
 10 indigenae prisca religione colunt ;  
 11 namque ibi miranda constructum ex arte sacellum  
 12 sancta sacerdotum pullaque turba tenet.  
 13 Hic nos, dum rapidi ferventia terga Leonis  
 14 altior et flavas urit Apollo jubas,  
 15 Laurenti dulcis, saevos ex urbe calores  
 16 fugimus ; hic placido nos fovet aura gelu.  
 17 At te cui patriae celebres debentur honores,  
 18 fas erit urbanae taedia ferre togae,  
 19 sollicitumque piis pectus componere curis,  
 20 civibus unde queas consuluisse tuis.  
 21 At me, quem magnis sors adversissima rebus  
 22 inferiore dedit, saeva, jacere gradu,  
 23 sit satis umbroso viridis sub tegmine quercus  
 24 ludere Pierio carmina grata choro.  
 25 Quod si Castalios nequeam libare liquores  
 26 nec folia ex lauro carpere, Phoebe, tua,  
 27 quis vetet imbellesque capras leporesque fugaces  
 28 urgere alipede per juga summa cane,  
 29 aut pingui incautas volucres innectere visco,  
 30 aut gregis insidias fallere casse, lupos ?  
 31 Ipsaque jam nantes liventi calce supinum  
 32 pisciculos nobis flumina parva dabunt,  
 33 nuper et emuncto poscenti villica lacte  
 34 occurret multa rusticitate decens.  
 35 O te felicem, quisquis civilia temnens  
 36 munera, florentis otia ruris amas !  
 37 Nulla hic mulorum poterit tibi rumpere somnos  
 38 turma, nec aerato calce recussa silex,  
 39 nec faber ardenti nocturnum forcipe versans  
 40 ferrum, nec querula stridula plaustra rota.  
 41 Et procul hinc aberit (juvat hoc quoque) nec mihi fastus  
 42 opponet totiens Xandra superba suos ;  
 43 non erit ad surdae cantandum limen amicae :  
 44 crudelis dominae jurgia nulla feram.  
 45 Totum praeteriit (sed quae sunt praemia ? ) lustrum,  
 46 ex quo, Xandra, tuus me male vexat amor ;  
 47 et tamen interea mitis quandoque fuisti,  
 48 multa sed, heu, minimo toxica melle bibi.  
 49 Nunc quoniam penitus nostro adversaris amori  
 50 inque dies minus est jam tibi cura mei,  
 51 concedam : sed tu, ni me Venus impia ridet,  
 52 flebis adhuc fido verba dedisse viro.

## CONQUERITUR DE AMORE

X2\_9 v.1 Fallitur, heu, si quis caecum jam credat amorem :  
 2 lumina tot capiti non ferus Argus habet.  
 3 Nam quae me tenebrae, quae me loca devia possunt  
 4 illius tutum surripere ex oculis ?  
 5 Sunt ripae et ripas praetercurrentia curvas  
 6 flumina, sunt testes frondea rura mihi,  
 7 in quibus indignas cupiens deponere flammis,  
 8 nequicquam dominae iurgia saeva queror.  
 9 Me vos in vestris vidistis montibus olim  
 10 errantem frustra saepe latere, ferae.  
 11 Nam quid profeci ? Sequitur deus ille nec usquam  
 12 improbus a nostro pectore flectit iter.  
 13 An tibi, saeve puer, mortalia caetera desunt,  
 14 quae possis faculis urere corda tuis ?  
 15 An desunt superi ? Juncto seu foedere mavis  
 16 Otia cum superis tutus habere deis ?  
 17 Scilicet et solus quo tela cruenta fatiges  
 18 nunc resto ; solum me tuus arcus habet.  
 19 Verum age, quandoquidem ternae, fera numina, Parcae  
 20 tam duras nobis imposuere colos,  
 21 non ego jam nostrove modum finemve furori  
 22 deprecor. In magno est nullus amore modus.  
 23 Sed tua quid possit saltem mea Xandra pharetra  
 24 heu noscat, noscat quid sit amare malum !  
 25 Tunc, quamvis tigresque truces Siculosque gigantes  
 26 atque ipsam possit vincere duritiem,  
 27 non tamen haec oculis cernet mea vulnera siccis.  
 28 Dura puella quidem est : non tamen illa silex.

## AD MUSAM

X2\_10 v.1 Nunc, age, sub densa ventis leve flantibus umbra  
 2 incipe versiculos, nostra Thalia, novos.  
 3 Incipe : vicinus crepitanti murmure labens  
 4 Bellerophonteae sit vice rivus aquae.  
 5 Et nemora haec blandis non sunt incognita nymphis :  
 6 texerunt multas proxima lustra deas.  
 7 Saepe sub hac longas Dryades duxere choreas  
 8 arbore, nativum nec sibi numen abest.  
 9 Adde quod hic locus est unde omnis Etruria nostris  
 10 optima vel pars est subdita luminibus.  
 11 Hinc Apennini, tergum collesque Mugelli  
 12 cernimus et plani pingua rura soli,  
 13 hinc Florentinas et summa palatia turres,  
 14 Christiferaeque patent candida templa deae.

## DE INSOMNIO

X2\_11 v.1 Tristia mi misero, turbant insomnia pectus,  
 2 nec secreta venit sensibus ulla quies.  
 3 Cur nostram totiens iratam, somne, puellam  
 4 objectas oculis, visa tremenda, meis ?

5 Hanc modo rivalis facis accepisse tabellas,  
 6 me coram et placido reddere verba sono ;  
 7 nunc illum nostra nimis exultare repulsa  
 8 fingis et e lacrimis gaudia ferre meis.  
 9 Non ipsis satis, ah, fuerat mea damna diebus  
 10 sentire et quantum Xandra superba furit,  
 11 nunc etiam noctes nostro accessere dolori :  
 12 sic lacrimis nullo tempore liber ero.  
 13 Improbe, tu dulci mortalia corda sopore  
 14 lenire et curas demere, somne, soles ;  
 15 nunc tua me horrendis vexant simulacra figuris  
 16 et magis est ipso nox vigilanda die.  
 17 Felix Endymion, viridi quem mollis in herba  
 18 pressit et evinxit lumina fessa sopor.  
 19 Ah quotiens illi gelida sub rupe jacenti  
 20 incubuit tepido Cynthia pulchra sinu,  
 21 et modo formosis puerum complexa lacertis  
 22 carpebat niveis oscula grata genis,  
 23 et modo dissimili pingebat tempora flore  
 24 Puniceis nectens lilia cana rosis.  
 25 His me, vel falsis, potuisses, perfide somne, -  
 26 nam quoque falsa juvant - ludere imaginibus.  
 27 Verum alter tibi sum - sensi - Palinurus et in me  
 28 non mare sed dominae tristia bella cies.

HELISABETHA MORIENS AD BERNARDUM FRATREM

X2\_12 v.1 Quid juvat in cassum tantas, germane, querelas  
 2 fundere ? Num precibus fata movere paras ?  
 3 Desine : nam quicquid nostrae de stamine vitae  
 4 restabat, rupit de tribus una soror.  
 5 Nec puduit primae miseram me aetate juventae  
 6 perdere, nec : plenas dilacerare colos.  
 7 Crudeles divae, nostro quae funere nostram  
 8 incestare domum gloria tanta venit ?  
 9 Non lacrimae fratris, non vos pia vota parentum,  
 10 non dulcis movit multa precata soror.  
 11 Ecce caput Stygiis jam jam moritura tenebris  
 12 mergor et ad Ditis limina fusca trahor.  
 13 Sed tamen, hoc superi norunt mihi dulce futurum :  
 14 ibo per Elysias, umbra pudica, domos.  
 15 Nam scelus admisi nullum, quo nostra doleret  
 16 mater, et in nobis militat ipse pudor.  
 17 Nec miserae novi Veneris mala gaudia, nec mi  
 18 turbavit facibus corda Cupido malis.  
 19 Ergo libens, quamquam nimis immatura, sub umbras  
 20 descendam : Manes et data fata sequar.  
 21 Impia nam fugiam nunc Tartara nec mihi saevas  
 22 incutient Dirae, lumina nigra, faces.  
 23 Non me Dictaei terre bunt jura tyranni,  
 24 Jura umbris numquam diffugienda piis,  
 25 non rimos a nigris implenda paludibus urna,  
 26 non erit inter aquas dira timenda sitis.  
 27 Horrescant aliae falcatos cominus ungues  
 28 et vetita extremum tangere saxa jugum,

29 horrescant volucresque, rotas, scopulosque minaces,  
 30 flammiferumque caput, saeva Chimaera, tuum.  
 31 Nam nos Elysios campos et amoena colemus  
 32 flumina et umbriferum fronde virente nemus.  
 33 Vos cari, nobis justissima cura, parentes,  
 34 Bernarde ante alios, frater amate, vale !  
 35 Atque vale atque meo memor haec duo carmina busto  
 36 imprime, quae nomen sint habitura meum :  
 37 junior hoc parvo jacet Helisabetha sepulchro,  
 38 deliciae fratris deliciaeque domus.

## DE BINDO LUSCO

X2\_13 v.1 Quid mirum, uxorem luscus si non potes uno  
 2 servare a moechis lumine, Marce, tuam ?  
 3 Centum oculos habuit quondam Junonius Argus,  
 4 nec servata tamen credita nympa diu est.

## DE EODEM

X2\_14 v.1 Una quod siccat vicesima pocula cena,  
 2 non vitium Bindi est, sed jubet ipsa sitis.

## EPITAPHIUM PHILIPPI ARCHITECTI

X2\_15 v.1 Suspicias aeternum vasta testudine templum :  
 2 Etrusci mirum est hoc opus ingenii.  
 3 Sed nomen fabri quaeris jam nosse : Philippo  
 4 nomen erat, cujus hic lapis ossa tegit.

## ALIUD PRO EODEM

X2\_16 v.1 Qui venis externis fama commotus ab oris,  
 2 Virginis ut cernas splendida templa Deae,  
 3 me quoque tam vasta celebrem testudine fabrum,  
 4 hoc tumulo clausum nosce : Philippus eram.

## AD FRANCIAM

X2\_17 v.1 Junior ut cupido quam sis videaris amanti,  
 2 non nisi cum vetulis, Francia, carpis iter.  
 3 Procerasque fugis, cum sit breve corpus, amicas ;  
 4 et nisi parva, tibi femina nulla comes.  
 5 Sic senior teneram mentiris saepe puellam,  
 6 mentiris grandem, pumilione minor.  
 7 Nunc rogo, qua possis luteum occultare colorem,  
 8 ora tibi cum sint pallidiora croco :  
 9 haec via sola patet, si vis formosa videri,  
 10 ut sedeas nigris mixta cadaveribus.

## AD XANDRAM

X2\_18 v.1 Nescio quid majus nostro, crudelis, amori,  
 2 improba ni fueris, poscere, Xandra, queas.  
 3 An me non macies totos tenuavit in artus,  
 4 ut jam contracta vix tegat ossa cutis ?  
 5 An mihi non mediis flammis errare medullis  
 6 vidisti, et saevas dura per ossa faces ?  
 7 Vidisti, heu, totiens : sed tu ni sanguine fuso,  
 8 ni moriar, nunquam me sat amare putas.  
 9 Ah dura et Siculis nunquam cessura tyrannis,  
 10 ipsam quae possis vincere duritiem,  
 11 quae tibi - fac animam fato me perdere iniquo -  
 12 morte mea tandem, quae tibi palma venit ?  
 13 I nunc atque animum tali submitte puellae  
 14 et miserum dominae sub juga subde caput.  
 15 Quid tamen inde tibi post milia multa laborum  
 16 continget pretii, praemia quanta feres ?  
 17 Mille vigil noctes circum durabis amatae  
 18 limen ; erit gelidus saepe cubile lapis :  
 19 at vix illa duo toto tibi dicet in anno  
 20 verbula, tangendam vix dabit illa manum.  
 21 Haec me non fugiunt, novi. Sed nosse misello  
 22 quid juvat, invitum si rapit asper amor ?  
 23 Heu nimis infelix duro et sub sidere natus,  
 24 quem nectunt laquei, saeve Cupido tui !  
 25 Spiritus huic uni propria de sede revulsus  
 26 in dominae maerens clauditur usque sinu,  
 27 exul ubi infelix, alieno in corpore degens,  
 28 arbitrio servus nil agit ipse suo.  
 29 Nunc aquilae obductum plumis te, maxime divum,  
 30 asteriae credam concubuisse tuae.  
 31 Te credam nivei formam sumpsisse juveni,  
 32 cum mare per longum vecta rapina tibi est.  
 33 Ipse aries factus flavam Bisalpida novit  
 34 Neptunus : flammis nec valet omne mare.  
 35 Quis nescit curvumque pedum simasque capellas,  
 36 Phoebe, tuas, cum tu flumina pastor amas.  
 37 Liber at Erigonem falsa decepit in uva :  
 38 hos te inire dolos ipse jubebat amor.  
 39 Ergo si variis superos se condere monstris  
 40 invitos totiens, saeve Cupido, jubes,  
 41 quid mirum si me tali exurente puella,  
 42 cogis in extrema vivere nequitia ?  
 43 Sed tu nostrorum pars optima, Xandra, laborum  
 44 Sola potes lacrimis consuluisse meis,  
 45 et potes, et furor est, talem si perdis amantem.  
 46 Quid furis ? Heu, damno stant mea fata tuo.  
 47 Credo equidem : invenies qui circum candida flavas  
 48 colla comas docto grandius ore canat ;  
 49 invenies majora tibi qui munera mittat -  
 50 flectere te quamquam munera nulla queant -  
 51 at mage me certus - cupiat quod sana puella -  
 52 nullus erit, nulli major in ore fides.  
 53 Te potui prima misere periisse juvena,  
 54 te potero cana, Xandra, perire coma.

55 Quin mea cum durae truncharint fila sorores  
 56 meque feret Stygia navita tristis aqua,  
 57 idem amor haerebit, nec me ulla oblivia tangent,  
 58 non si Lethaei flumina tota bibam.

## AD BINDUM

X2\_19 v.1 Cur nisi purpureas ornat cui fusca lacernas  
 2 Martora, nulla tibi, Binde, puella placet ?  
 3 Cur tantum sequeris, cui pulchra monilia collo  
 4 pendent, cui digitis plurima gemma nitet ?  
 5 Nempe aut in Veneris furto es stomachosus adulter,  
 6 aurea seu potius quaerere furta juvat.

## AD FRANCIAM

X2\_20 v.1 Septima jam gelidae noctis devolvitur hora :  
 2 nunc optata diu dulcia furta feram.  
 3 O nox purpureis nunquam cessura diebus,  
 4 sis mihi perpetua, sis sine luce, precor !  
 5 Quos ego nunc referam, mea nox, te teste triumphos,  
 6 Tu modo secreta contege cuncta fide.  
 7 Sed fluit, heu, tempus : satis est, mea Francia, surge !  
 8 Surge, suam foribus, Francia, pelle seram.  
 9 En jam purpureum prono labentia cursu  
 10 Oceano mergent sidera pulchra caput,  
 11 ipsaque lux aderit Veneris contraria furtis.  
 12 Surge, suam foribus, Francia, pelle seram.  
 13 Me miserum ! Quotiens miseri falluntur amantes !  
 14 His quotiens ridens fregit amica fidem !  
 15 En jam stridenti borea mihi membra rigescunt,  
 16 jam vitream fecit cana pruina togam,  
 17 dum promissa mihi reserari limina demens  
 18 auguror, at molli nunc jacet illa toro.  
 19 Immemor et nostri geminas obdormit in aures,  
 20 aut in nos fictos ridet amara dolos.  
 21 Sed satis atque super lusisti, Francia, surge !  
 22 Surge, suam foribus, Francia, pelle seram.  
 23 O mihi si magicae parerent carmina vocis,  
 24 salvaque Medaeae gramina nota forent,  
 25 his ego te invitam duxissem, perfida, sacris,  
 26 quandoquidem sana mente venire negas.  
 27 Sed satis atque super lusisti, Francia, surge !  
 28 Surge, suam foribus, Francia, pelle seram.  
 29 At tu crudeli domina jam durior ipsa  
 30 janua debueras sponte patere mihi.  
 31 Quam fuit exiguum verso me admittere furtim  
 32 cardine : sic falli nostra puella cupit.  
 33 Illa quidem per se nostro indulgere furori  
 34 denegat, invitam se cupit usque rapi.  
 35 Vah minimo poteris binos obstringere amantes  
 36 ipsa tibi obsequio, sed nihil ipsa sapis.  
 37 Hem cui frondentes volui legisse coronas,  
 38 hem cui tot demens florea sarta tuli !

39 Sed peream, si me posthac, ingrata, videbis  
 40 ad tua purpureas limina ferre rosas.  
 41 Te caries rodat, tibi Di.... Sed dum queror, ecce  
 42 rimula perfulgens lumen aperta dedit.  
 43 Nonne pedum strepitum ? Falsa vel imagine ducor ?  
 44 O me felicem, Francia nostra venit !

## AD LEANDRAM

X2\_21 v.1 Anulus en, dicis, quo pignore nocte futura  
 2 te mihi venturam, vana Leandra, putem ?  
 3 Nec venis et rides et me sic ludere credis ;  
 4 verum ego sic abs te ludier usque velim.  
 5 Nam modicum malo, quod continet anulus, aurum,  
 6 quam te, cui turpi pallet in ore color.  
 7 Detinet ergo auri - dices - te magna cupido :  
 8 immo, Leandra, tui nulla cupido tenet.

## EPITAPHIUM PAULI IN IPSO CONCUBITU DEFUNCTI

X2\_22 v.1 Hic jacet ignotum Paulus de plebe cadaver,  
 2 morte sed insolita nobilitatus erit.  
 3 Nam dum scortilli clunemque femurque fatigat,  
 4 deposuit vitam pene vomente suam.

## AD URBEM FLORENTIAM

X2\_23 v.1 Hactenus egregiam niveo candore puellam  
 2 et dominae lusi lumina nigra meae.  
 3 Nunc tua majori, praestans Florentia, versu -  
 4 dent modo fata viam - fortia facta canam.  
 5 Quid juvat antiquas heroum dicere laudes,  
 6 aut quid Thebanos, bella nefanda, duces ?  
 7 Nil mihi cum Priamo, nil tecum, fortis Achilles ;  
 8 Tu Paris atque Helene, fabula nota, vale !  
 9 Haec Grai, haec Latii quondam cecinere poetae,  
 10 tritaque sunt nostris auribus ista satis.  
 11 Dicam ego Romanae florentes urbis alumnos  
 12 a patribus nunquam degenerasse suis.  
 13 Et referam versasque acies et moenia celsi  
 14 Boniti plano jussa jacere solo.  
 15 Et vos, o Pisae, cantabimus, altera nobis  
 16 Carthago, tandem nostra tulisse juga.  
 17 Nec semel adverso jam fractas Marte Senenses  
 18 atque Lupam turpi terga dedisse fugae.  
 19 Quid Volaterranis sublimi monte superbis  
 20 profuit in summis moenia habere locis,  
 21 dispositasque suis muris armare cohortes,  
 22 volvereque in nostros saxa superna viros ?  
 23 Scanduntur rupes, tum denso milite porta  
 24 frangitur et medio ponimus arma foro.  
 25 Ah quam felici, praeclarae mater alumnae  
 26 Roma, Fluentina moenia condis ave !

27 Hinc manibus nostri procero corpore Casca  
 28 Foresi moriens sanguine tingit humum.  
 29 Casca unus solitus reginas sistere turmas  
 30 non tulit Etrusci fortia tela ducis.  
 31 Sed nimis heu gracili tam grandia proelia versu  
 32 ludo : meos humeros non onus omne decet.  
 33 Est furor, est cymba vasto me credere ponto  
 34 exigua ; fluvios nostra phaselus amet.  
 35 Sitque satis dominam miseris urgere querelis,  
 36 mulcere et gracili pectora dura lyra,  
 37 imparibusque modis teneros disponere amores :  
 38 haec tibi materies, parve libelle, datur.  
 39 Nec tamen exiguum talem dixisse puellam  
 40 duxeris : haec laudis gloria magna mea est.  
 41 Gloria magna quidem talem dixisse puellam,  
 42 cui similis quondam nulla puella fuit.  
 43 Nam niveos vidi flores vidique rubentes  
 44 virgineo mixtos molle decere sinu,  
 45 at dominae faciem si contemplabere nostrae,  
 46 pulchrius in Xandra est fusus uterque color.  
 47 Quale ebur aequabit dentes, quae rubra labellum  
 48 purpura ? Quae vincent cygnea colla nives ?  
 49 Fulgeat, ut libuit, tersum perfulgeat aurum ;  
 50 non tamen has superet, candida Xandra, comas.  
 51 Ipsa tuis oculis cedet Venus, ipsa deorum  
 52 regina incessus optet habere tuos.  
 53 Una Fluentinis nata es tu gloria nymphis,  
 54 in te congressit, quicquid habebat amor.  
 55 Sis modo - justa peto - nostro non saeva furori :  
 56 hinc laus est formae tota futura tuae.  
 57 Laudamus, fateor, flavos in virgine crines,  
 58 candidulam frontem candidulamque genam ;  
 59 sed mage laudamus mores in cuncta venustos,  
 60 aut si quam precibus flectere possit amans.  
 61 Contra autem fastus qui non odere superbos ?  
 62 Quamvis pulchra, tamen nulla superba placet.  
 63 Oderunt superi crudelia pectora divi  
 64 et trucibus nymphis multa dedere mala.  
 65 Heu, poteras Phoebo, Daphne, gaudere marito  
 66 et conjux talem scandere laeta torum.  
 67 Sed dum illum dure refugis, vah stulta puella,  
 68 qui, modo sana fores, ultro rogandus erat,  
 69 candida frondenti tibi sunt circumdata lauro  
 70 pectora et in ramos brachia versa ramos.  
 71 Sic hominis veterem penitus mutata figuram  
 72 flumina, nunc arbor facta, paterna colis.  
 73 Sic Arethusa, sui nimium dum saeva querelas  
 74 Alphei et placidas spernit, amata, preces -  
 75 vel dictu miserum - vitreas mutatur in undas.  
 76 i nunc, te Alpheo, dura Arethusa, nega !  
 77 Iphis Anaxaretis nimia feritate repulsus  
 78 ante diem Stygiae flumina vidit aquae ;  
 79 at Venus indignos fastus non passa puellae  
 80 in lapidem verti candida membra jubet.  
 81 Ergo si sapiens externis docta periclis,  
 82 Xandra, in me facilis mitia corda geres,



83 neve, heu, sit tanti lacrimas vidisse furentis,  
 84 tristia cum falsus irrigat ora liquor,  
 85 ut tibi vel minimum jubeat nigrescere dentem,  
 86 siquis adhuc miserans vindicat ista deus !

## AD BINDUM

X2\_24 v.1 Ut moechos abigas, uxorem credis amato,  
 2 Binde, sacerdoti : creditur agna lupo.

## AD XANDRAM

X2\_25 v.1 Quis malus, heu, rumor nostras pervenit ad aures ?  
 2 Me miserum, nobis Di meliora velint !  
 3 Vera sed haec fama est : abiit mea cara puella ;  
 4 delicias nostras, invida Roma, rapis.  
 5 Heu, heu, quot nostrum rumpent suspiria pectus,  
 6 quot lacrimae ex oculis, flumina quanta cadent !  
 7 Vos eritis noctes testes et sidera nobis ;  
 8 audiet et gemitus candida luna meos  
 9 et caeli medium peragrans miserabitur ignes  
 10 saepe meos ; novit quid sit amare dea.  
 11 Eoque petens nonnumquam Aurora cubile  
 12 narrabit Phrygio tempora nostra viro ;  
 13 saepeque dum cano feret oscula grata marito,  
 14 cogetur nostris ingemuisse malis.  
 15 Hem cui desertus querar ? Hem quae numina poscam ?  
 16 Si prodis partes, saeve Cupido, meas,  
 17 nostrane perpetuis confides pectora telis,  
 18 semper et e nostro corde cruentus eris ?  
 19 Illa tuus numquam quid possit sentiet arcus,  
 20 nec tantum pharetram cernet iniqua semel ?  
 21 Heu durum quotiens gelida sub nocte cubile  
 22 vestibulum fecit mi, fera Xandra, tuum,  
 23 vel quis carminibus tua limina saepe rogavi  
 24 et foribus clausis oscula quanta dedi !  
 25 Hoc tenebrae norunt, hoc novit rimula, per quam  
 26 ad te pervenit vocula saepe mea.  
 27 Cantabam, posti, borea mihi membra rigeabant,  
 28 albebat cana penula nostra nive ;  
 29 seu pluviis poteram madidam vix tollere vestem  
 30 sive erat a glacie vitrea facta toga.  
 31 Te tamen interea tepidus, te lectus habebat,  
 32 auribus et surdis carmina nostra dabas.  
 33 Tu nostro in gemitu tam molles carpere somnos,  
 34 tu siccis oculis cernere nostra mala ?  
 35 Nec satis hoc fuerat, nimis ah nimis aspera Xandra,  
 36 nunc me, nunc patriam, saeva, relinquis humum.  
 37 Meque abitus comitem, crudelis, spernis amantem,  
 38 ultima qui tecum Bactra aditurus eram.  
 39 Sed sic jussit iter. Credan ? Te quis tamen egit  
 40 tam cito ? Non abitus, sed fuga, Xandra, tua est.  
 41 Heu, mora parva mihi solatia magna fuissent,  
 42 dum mea, me miserum, fata dolere docent.

43 Nunc reliquum in silvis, postquam me Xandra relinquis,  
 44 tempus agam ; silvas et juga summa colam.  
 45 Est nive brumali mons horridus - hunc tamen aestas  
 46 floribus et viridi candida fronde tegit -  
 47 unde per abruptos scopulos se spumeus Arnus  
 48 dejicit et rapido flumine frangit aquas ;  
 49 Arnus Etruscorum fluvium notissimus amnis,  
 50 qui radit patriae moenia parva meae.  
 51 His ego verticibus misero deceptus amore  
 52 tentabo flammam pellere corde malas.  
 53 Namque ibi Naiades grata testudine nymphas  
 54 mulcebo et Satyros ; rustica sacra canam.  
 55 Et Dryades nobis aderunt, laetissima turba,  
 56 quae montes et quae florea prata colunt.  
 57 Quarum aliae tensis aptabunt carmina nervis,  
 58 et modulis capient pectora nostra novis ;  
 59 pars variis numeris suspendet in aera saltus,  
 60 ad citharam tremulos ducere docta choros.  
 61 Nullaque non, nostros placide solata dolores,  
 62 mi caput in gremio ponet amica suum,  
 63 nec fastus totiens nobis jactabit amarus,  
 64 ut tu blanditiis facta superba meis.  
 65 Certatim interea sparsae per rura volucres  
 66 diffundent varios per nemus omne sonos.  
 67 Quas inter flammam Terei Philomena nefandas  
 68 dicet et ut pennas sumpserit ales Itys,  
 69 et cur puniceis spargat sua pectora signis  
 70 Procnes, cur natum raptet iniqua parens.  
 71 His ego, Xandra, tuos, nimis crudelis, amores  
 72 pensabo studiis - sic ego rura colam -  
 73 seu canibus tumidas agitabo ad retia capras,  
 74 et leporem imbellem per juga summa sequar.  
 75 Vos cari comites et tu, Florentia, celsis  
 76 aedibus et templis facta beata, vale !  
 77 Jamque juvat gravidas humeris aptare pharetras,  
 78 et caeca hirsutas fallere casse feras.  
 79 Sed quid ago infelix ? Quo me furor impius urget ?  
 80 Nil prodest nostris haec medicina malis.  
 81 Nullus amor, nulli pectus sanare labores  
 82 mi possunt : medio pectore Xandra sedet.  
 83 Illa mihi quondam teneram furata juventam  
 84 prima dedit leges imposuitque jugum.  
 85 Illi igitur seram fas sit servire senectam  
 86 principium fuerat, sic quoque finis erit.

## AD XANDRAM

X2\_26 v.1 Quo ruis hinc ? Ne Xandra dolos neu perfida fraudes  
 2 necte ! Licet fugias : te tamen usque sequar.  
 3 Te sequar extremae properantem ad litora Thyles,  
 4 aut qua decurrit Indus in Oceanum,  
 5 nedum Romanos cupias si visere colles  
 6 et Vaticani limina sacra Petri.  
 7 Arne Fluentinis pergratum flumen alumnis,  
 8 tuque mihi in primis, urbs memoranda, vale !

9 Te invitus linquo, fateor. Sed nigra puellae  
 10 lumina, sed dominae cycnea colla trahunt.  
 11 Hac ego non horam possem spirare relicta,  
 12 hac sine nec Darii ditia regna velim.  
 13 Hoc seu fata mihi dederint Parcaeque malignae  
 14 nascenti, seu nunc sic trahat asper amor,  
 15 Heu, latet. At quaecumque fuit, vis maxima certe est,  
 16 quam contra vires nil valuere meae.  
 17 Ergo sequar ! Sed vos, quis nondum perdita vitae  
 18 libertas proprio pectore tuta sedet,  
 19 expertus moneo : venturo obstate furori !  
 20 Capta semel nunquam corda furore vacant.

QUOD ROMA XANDRAM ADMIRETUR

X2\_27 v.1 Dives erat quondam formosis Roma puellis,  
 2 quarum nunc cineres ossaque cana tegit.  
 3 Errantemque suis vidit te, Cynthia, laeta  
 4 porticibus flavis spargere colla comis ;  
 5 vidit et, egregium cum Lesbia pulchra Catullum  
 6 ureret, et dixit : Lesbia pulchra mea est.  
 7 Vidit et arrisit, facies cum blanda Corinnae  
 8 sub juga Nasonem cogeret ire suum,  
 9 atque oculos Nemesis figentes corda Tibulli  
 10 vidit : erat vatis carmine nota sui.  
 11 At nuper Xandrae vidit cum lumina nostrae,  
 12 juravit nihil hac posse decere magis.

AD IOHANNEM ANTONIUM DE CARMINIBUS BURCHI

X2\_28 v.1 Plurima mitto tibi tonsoris carmina Burchi ;  
 2 haec lege. Sed quid tum ? Legeris inde nihil.

AD MUSAM QUOD FLORENTIAM AD IOHANNEM ANTONIUM PERGAT

X2\_29 v.1 Curre sed extemplo Tuscum visura leonem  
 2 atque Fluentinas, candida Musa, domos.  
 3 Verum ubi sublimem turrim portamque Senensem  
 4 intraris, recta perge subinde via,  
 5 et Veterem transi Pontem, quem mollibus undis  
 6 suffluit et placidis irrigat Arnus aquis.  
 7 Exhinc sericeas intervectere tabernas,  
 8 et Mercatorum compita pulchra Fori.  
 9 Neve Malum post haec Callem transire timebis,  
 10 namque habet hic falsi nomina vana metus ;  
 11 neve iter inflectes, quamvis sit propter eundum  
 12 lustra Lupae : fugit hanc nulla matrona viam.  
 13 Hinc trivium a Paleis dictum et Laurentia velox  
 14 templa petes, opibus nobilitata novis.  
 15 Non tamen hic vastis moles miranda columnis  
 16 inque dies surgens te remoretur opus,  
 17 nec latus in dextrum, dum magna palatia magni  
 18 suspectas Cosmi, pes tibi lentus eat.

19 Sed breve quod spatium superest, decurre, Camena ;  
 20 sic demum in Gallam, Musa, ferere viam,  
 21 dulcis ubi aediculas carique subibis amici,  
 22 in cujus primum fessa quiesce sinu.  
 23 Exhinc quam multam memori refer ore salutem  
 24 Johannemque meum longa valere jube.  
 25 At te quid Romae faciam si forte rogarit,  
 26 dicito me veterum discere relliquias,  
 27 quas oculis si quis poterit jam cernere siccis,  
 28 hunc hominis pectus non habuisse putem.

#### DE ROMA FERRE DIRUTA

X2\_30 v.1 Et cunctis rebus instant sua fata creatis,  
 2 et, quod Roma doces, omnia tempus edit.  
 3 Roma doces olim tectis miranda superbis,  
 4 at nunc sub tanta diruta mole jaces.  
 5 Heu, quid tam Magno, praeter sua nomina, Circo  
 6 restat, ubi Esquilias sola capella colit ?  
 7 Nec sua Tarpeium servarunt numina montem,  
 8 nec Capitolinas Juppiter ipse domos.  
 9 Quid Mario Caesar dejecta trophaea reponis,  
 10 si quod Sylla fuit, hoc sibi tempus erit ?  
 11 Alta quid ad caelum, Tite, surrigis amphitheatra ?  
 12 Ista olim in calcem marmora pulchra ruent.  
 13 Nauta Palatini Phoebi cantaverat aedes,  
 14 dic tua, dic Phoebe, nunc ubi templa manent ?  
 15 Heu, puduit statuas Scopae spectare refractas,  
 16 haec caput, ista pedes, perdidit illa manus.  
 17 Nec te, Praxiteles, potuit defendere nomen,  
 18 quominus ah, putris herma, tegaris humo ;  
 19 hanc nec Phidiaca vivos ostendere vultus  
 20 arte juvat : doctus Mentor ubique perit.  
 21 Quin etiam Augusto Stygias remeare paludes  
 22 si licet et vita rursus in orbe frui,  
 23 inquirens totam quamvis percursitet urbem,  
 24 nulla videre sui jam monumenta queat.

### LIBER TERTIUS

#### AD PETRUM MEDICEM

X3\_1 v.1 Qui dominae varios nuper lusistis amores,  
 2 quae jocunda mihi, tristia quaeque forent,  
 3 nunc elegi tempus ; graviori insurgite plectro,  
 4 exiguum vestro munere crescat opus.

5       Sunt acris nunc acta viri celebranda ; sed illi  
 6           hoc date, Castalia quas lavat unda, deae.  
 7       Namque favet Musis Medices : vos numina, Musae,  
 8           vestra meo - meruit - conciliate Petro.  
 9       Non hic armorum sonitus, non vestra movebunt  
 10       pectora crudeli proelia gesta manu ;  
 11       nam neque torquetur validis hastile lacertis,  
 12       nec celeri cursu fessus anhelat equus,  
 13       non galeae cristas, non exhorrebitis ensis  
 14       mucronem et dirae tela parata neci ;  
 15       sed ducis egregii virtus memoranda togati ;  
 16       hujus enim cedunt fortia castra togae.  
 17       Novimus invicti divinas pectoris artes,  
 18       tradita cum denis publica cura viris.  
 19       Tunc stupuit Cosmus juvenili in pectore nati  
 20       consilium, quantum vix solet esse seni,  
 21       ingeniumque videns illi per cuncta paternum,  
 22       maxima sub tacita gaudia mente tulit.  
 23       Ah quanta in dubiis patuit prudentia, quantus  
 24       tunc patriae vigilem sollicitavit amor !  
 25       Auctor erat pacis : sed quae sine fraude tueri  
 26       imperium posset, quae sine labe decus.  
 27       Sed quoniam excierat, nobis ut bella moverent,  
 28       improba regnandi saepe cupido duces,  
 29       censuit invicto surgendum pectore contra,  
 30       cum sit turpe gravi frangere corda metu.  
 31       Vos hunc insomnes vidistis ducere noctes,  
 32       collegae, et curis invigilare piis.  
 33       Ergo sic casusque graves, sic saeva pericla  
 34       vitavit monitis Curia nostra suis.  
 35       Sic patriam Calabro tutam jubet esse tyranno,  
 36       cum Florentinos ureret hostis agros,  
 37       neve opera solum magnoque ex pectore curis,  
 38       sed populum multo sublevat acre suum.  
 39       Verum quid Medicum non praestat maxima virtus ?  
 40       Quot bona jam nobis contulit una domus !  
 41       Haec Ligurum populos, nobis saevissima regna,  
 42       sub juga jam socii compulit ire ducis.  
 43       Novit Sfortiades, qui quamvis Caesar in armis  
 44       viribus et valida mente superbus eat,  
 45       hac sine Bebriaci tamen expugnare tyranni  
 46       sceptra olim comite se potuisse negat.  
 47       Aere igitur Medicum, Medicum virtute fideque  
 48       publica res summo constabilita loco est.  
 49       Nam neque qui multus Tuscis exercitus oris,  
 50       Insubribus nec qui castra locabat agris,  
 51       censu hunc Syllanus populus nutrisset Etrusco,  
 52       ni Cosmus Medicas accumulasset opes.  
 53       Ergo et pace bonos, quorum et prudentia bello  
 54       cuncta gerat, Medicum protulit alta domus.  
 55       Nec tantum juvit Fabius natusque paterque  
 56       oppositus Poeno, consul uterque, duci,  
 57       quantum nunc Medices proceres natusque paterque  
 58       fregerunt lenta cum fera castra mora.

## AD PETRUM MEDICEM MAECENATEM SUUM

X3\_2 v.1 Musa Fluentini, claudo licet anxia gressu,  
 2 i, Maecenatis splendida tecta subi.  
 3 Dic modo qui misere poterat vix stridulus anser  
 4 exiguum rauco carmen hiare sono.  
 5 Jam liquidum niveis sublatus ad aethera plumis  
 6 sperat olorinos edere posse modos.  
 7 Nam quod Gorgonei non praebuit unda liquoris  
 8 olim nec Clarii laurea silva dei,  
 9 Hoc ego nunc hausit Tyrrheno e fonte profectus,  
 10 qui fluit e Medica lucida lympa petra.

## AD ANTONIUM CANISIANUM DE PRIMORDIIS URBIS FLORENTIAE

X3\_3 v.1 Has omnes lautis opibus quas suspicis aedes,  
 2 seu sacra te stupidum sive profana tenent,  
 3 nullas Syllanus miles conspexerat olim,  
 4 cum Fesulos primum forte teneret agros.  
 5 Sed quae nunc multo splendent exculpta labore,  
 6 limoso turpis texerat alga lacu ;  
 7 namque retardatus spumantis vertice saxi  
 8 in stagnum pigras verterat Arnus aquas.  
 9 Nec pedibus tellus habilis, nec lintribus unda  
 10 nec fluuius pisci nec fuit herba bovi.  
 11 Nondum quaternos admirans advena pontes  
 12 transibat sicco flumina recta pede.  
 13 Nondum sublimi in nostram defluserat urbem  
 14 fornice longinquis unda petita locis ;  
 15 excelsam sed nunc ubi tollit Curia turrim,  
 16 piscator nulla fecerat arte casam,  
 17 et Baptisteri sacras ubi condimus undas,  
 18 garrula ranarum voce lacuna fuit.  
 19 Nam quis templa Crucis, quis saxis ducta superbis  
 20 viderat Albertum tunc monimenta virum,  
 21 quis Florentini norat praetoria juris  
 22 aut quod te cingit, Curia celsa, forum ?  
 23 Omnia limosa squalebant arva palude,  
 24 quae nunc erectis molibus astra petunt.  
 25 Syllanus primus fugiens asperrima montis  
 26 purgavit nostros arte colonus agros,  
 27 atque Arnun recta contractis undique lymphis  
 28 obice disrupto compulit ire via,  
 29 vicinumque libens primus descendit in aequor,  
 30 ut strueret pulchrum nobilis urbis opus.  
 31 Hic Capitolinae primus non immemor arcis  
 32 Romano nobis nomine tecta dedit,  
 33 et fora disposuit Romano condita ritu,  
 34 Romano ritu Curia prima fuit.  
 35 Quin et Gradivo longis suffulta columnis  
 36 construxit vario marmore templa deo.  
 37 Et quae rupta jacent turpi vitiata senecta  
 38 moenibus adjunxit alta theatra novis.  
 39 Alite felici sic prima exordia nostrae

40           urbi et praeclaro contulit auspicio.  
 41 Ipsaque paulatim saeclo deserta sequenti  
 42           implevit nostras urbs Fesulana domos,  
 43 migrantesque viri montis de sede vetusta  
 44           auxerunt opibus moenia nostra suis.  
 45 Quos inter stirpis generisque novissimus auctor  
 46           affuit Antoni Canisiane tui ;  
 47 hinc tibi, qua maneant patriae monumenta prioris,  
 48           aerea in niveo marmore luna micat.  
 49 Lunam etenim Fesulus populus gestaverat olim,  
 50           index quae priscae nobilitatis erat,  
 51 Lunam nunc Fesula tu qui descendis ab urbe,  
 52           insigne antiquae nobilitatis habes.  
 53 Longa referre mora est, priscorum stirpis avorum  
 54           si quot erunt nobis, enumerare velim.  
 55 At tibi quem simili, Medices, dignemur honore,  
 56           nullum quod norim sanguis avitus habet.  
 57 Namque inter reliquos tantum domus ista decorum  
 58           egregios cives exserit alta caput,  
 59 quantum Christifera gaudet quod virgine, templum  
 60           molibus exuperat cetera templa suis.  
 61 Hinc meritisque gravis multa et pietate verendus  
 62           eloquioque potens Verius exoritur ;  
 63 namque hic civiles rabie insurgente tumultus  
 64           pressit et exortum seditione malum.  
 65 Nunquam alias majore ruit plebs concita motu,  
 66           portabatque atras jam fera turba faces ;  
 67 tunc Medices praevectus equo, quique albus ubique  
 68           signabat maculis candida terga nigris,  
 69 vixque erat aspectus populo, et jam nota furentis  
 70           majestas vulgi presserat ora sui.  
 71 Utque fretum, hinc Sicula cohibet quod parte Pelorus,  
 72           hinc claudent Latiae regia saxa plagae,  
 73 nunc Scyllae illidit scopulis nunc atra Charybdis  
 74           gurgitibus rapidis ima per antra vorat -  
 75 et vorat et rursus fluctus ejectat in auras,  
 76           saxa tegunt spumae, litora curva fremunt -  
 77 at si caeruleos magnarum rector aquarum  
 78           illa Neptunus parte reflexit equos,  
 79 tunc cadit omne maris murmur, rabidosque furentum  
 80           latratus cohibet Scylla maligna canem ;  
 81 excipiunt pelagi tunc muta silentia regem,  
 82           ille volat paribus per freta summa rotis :  
 83 sic rabies populi cecidit taciturnaque cunctis  
 84           jam stupidum placuit ora tenere viris.  
 85 Verius at placidis commiscens aspera dictis  
 86           pectora multisonae plebis acerba domat ;  
 87 nam notus pietate sui, qui publica semper  
 88           duxit privatis anteferenda bonis.  
 89 Insanos multa cum libertate furores  
 90           rettulit in veram Verius ipse viam.  
 91 Haec igitur sumens exempla domestica magnus  
 92           ante omnes Cosmus enumeratur avos.  
 93 Dicite vos : veterem quisquis laudare senatum  
 94           optarit, patriae quis bona tanta tulit ?  
 95 Nemo prior vidit ventura pericula, nemo

96           succurrit visis promptius usque malis.  
 97   Alter Aristides, alter Cato, publica justo  
 98           munera magnanimus jure gerenda capit.  
 99   Dives erat quondam Crassus, sed dives avara  
 100          sollicitus vetitas arte parabat opes,  
 101   nec partem posuitve suis inopesve levavit  
 102          cives, nec sacris stant pia tecta focis.  
 103   At diversa locis struxit quae Cosmus eodem  
 104          si fundare solo ditia templa velis,  
 105   vix Capitolinae circumdent moenibus arcis  
 106          Tarpeio quondam limina sacra Jovi.  
 107   Adde etiam excelsos, urbis decora alta, penates,  
 108          quaeque tot hospitibus tecta benigna patent.  
 109   Rebus at in duris illo quid fortius unquam  
 110          cive tulit magnis urbs populosa viris ?  
 111   Testis erit nobis armis opibusque superbus,  
 112          qui sua rex Calabris castra refersit equis  
 113   et quicumque gravi Tyrrheni sceptrum leonis  
 114          ausus erat duro subdere Marte jugo.  
 115   Nam neque magnanimum fregerunt horrida pectus  
 116          bella nec adverso proelia gesta deo.  
 117   Turris ut in summi fundata cacumine montis  
 118          immotam scopulis se tenet alta suis,  
 119   et licet hinc Boreas, rapidis hinc flatibus Eurus  
 120          certent et pluvii flumina nigra Noti,  
 121   pedibus illa suis haeret tamen usque, nec ima  
 122          parte nec in summo vertice pulsa tremit :  
 123   sic ille intrepida quaecumque pericula mente  
 124          excipit et duris casibus antevenit.  
 125   Hinc igitur felix populus felixque senatus  
 126          natis et Cosmo sospite noster erit.  
 127   Ille quidem magnos hoc consultore tumultus  
 128          reppulit et mitis otia pacis habet.  
 129   Ille etiam Cosmi conductas aere catervas  
 130          instruit, et Cosmi militat aere leo.  
 131   Aspicite, o cives, quicquid micat urbe decorum,  
 132          quae multis annis aedificata nitet !  
 133   Hoc decus ille novum populoque urbique paravit,  
 134          ut vetus ingenti cresceret arte decus.  
 135   Vos ergo humano geniti de semine divi,  
 136          quis novat empla pius Cosmus habere dedit,  
 137   Tu Virgo ante alias, tibi jam si rite columnis  
 138          suspendit Medices marmora pulchra Petrus,  
 139   hunc nobis servate senem, date candida Cosmo  
 140          vellera longaevae continuare colis,  
 141   ut natos, serum dum jam sub tempus habenas  
 142          tractant, longaevus cernat utrosque senes.

EULOGIUM IN FRATREM SUUM

X3\_4   v.1   Ergo heu mi misero sine te - nec fata pudebit -  
           2       perpetuus, frater, pectora luctus edet.  
           3       Te sine nunc, vitae frater pars maxima nostrae,  
           4       cogar in aeterna vivere maestitia ;



5 nam mihi te teneris durus Mars subripit annis,  
 6 quinta nec, ah, licuit lustra videre tibi.  
 7 Ille etenim octava Saturno a sede malignum  
 8 oppositus vitae contudit astra tuae.  
 9 Unde et crudeles nimium te saevus in hostes  
 10 impulit irato sidere ferre pedem.  
 11 At tamen hunc Stygiae submersit unda paludis,  
 12 bellica qui primus duxit in arma viros,  
 13 qui pacem subito potuit turbare tumultu,  
 14 dum movet horrenti Martia castra tuba.  
 15 Hic adamanta tulit ferrato in pectore durum,  
 16 durius aut siquid esse adamante potest.  
 17 Hic miseram nato privavit saepe parentem,  
 18 et caruit sponso pacta puella viro.  
 19 Hic te subripuit, teque hic mihi, frater, ademit :  
 20 et vita atque oculis frater amabilior ;  
 21 tam dilecte mihi, quantum nec Castora Pollux,  
 22 unica nec quantum pignora mater amat.  
 23 Sed tamen haec durum mulcent solatia casum  
 24 et faciunt tantis me superesse malis,  
 25 quod nihil indignum tam dirae mortis imago  
 26 impulit audaci te subiisse viro,  
 27 nec Lusitani vidit te turba tyranni,  
 28 nec Calabrum cunei terga dedisse fugae,  
 29 sed pedes adversos equitis jaculatus in armos  
 30 prendisti occurrens frena fugacis equi.  
 31 Nam vires aderant volucrisque celerrima plantae,  
 32 quae posset fluvios exsuperare fuga.  
 33 Sed frustra, heu miseri, si nobis fata repugnent  
 34 nitimur impositas exsuperare colos !  
 35 Jam Lusitanum victus porrexerat ense  
 36 hostis et in nexus brachia capta dabat,  
 37 ecce ferox Arago turmam provectus et acri  
 38 auxilio comiti tela inimica quatit.  
 39 Et tibi, me miserum, frater dum vincula nectis  
 40 captivo et reditus ad tua signa paras,  
 41 improvisus adest et dextras vulnere costas  
 42 transigit et medium pervolat hasta jecur.  
 43 Accurrit tum densa cohors cunctique manipuli  
 44 et clipeo flentes saucia membra locant.  
 45 Ille ubi se certa vidit jam morte teneri,  
 46 talia magnanimo pectore verba refert :  
 47 "Sensimus hoc dudum, cum durum in viscera ferrum  
 48 irruit, extremum lucis adesse diem.  
 49 Verum communis veni cum Martis ad arma,  
 50 noram quas soleat sors variare vices,  
 51 ut durae immineant quam saeva pericula pugnae  
 52 et circa fatum militis arma volet,  
 53 nec mihi tum certam statui sperare salutem,  
 54 aut quod commune est posse carere malo.  
 55 Sive igitur, quodcumque meae de stamine vitae  
 56 restitit, ante diem fors inimica tulit,  
 57 seu potius certum nec devitabile fatum  
 58 Hoc tantum dederat quod superare nefas,  
 59 intrepidus forti quamvis horrenda subibo,  
 60 quae natura parens ultima dona dedit.

61 Nam qui militiae pulchro raptatur amore,  
 62 exuat hic omni pectora mollitiae ;  
 63 vulgus enim et vilem demulcent prospera plebem,  
 64 quae sua denervat corda cupidinibus ;  
 65 terrores vero mortis trepidosque tumultus  
 66 est animi proprium vincere fortis opus.  
 67 Non ergo invitus cogar, sequor ecce volensque  
 68 jam jam Lethaei pocula nigra bibam.  
 69 Sed tamen heu cari miserum genitoris imago  
 70 sauciat atque domus maxima cura, soror.  
 71 Politianeas nam me dura tristis in arces  
 72 alitis adversae mitteret ominibus,  
 73 egressum Laribus me ad portas usque secutus  
 74 illacrimans fracta talia voce dabat :  
 75 novi ego quae sedeat juvenili in corde cupido  
 76 laudis et egregiae gloria militiae,  
 77 quis furor in bello, quam nescia cedere virtus  
 78 viribus inferior maxima saepe ciens.  
 79 Quod te per nostros annos lacrimasque seniles,  
 80 quae nunc ex oculis fluminis instar eunt,  
 81 si pia solliciti flectit te cura parentis  
 82 atque suum pondus verba precantis habent,  
 83 parce precor, miseroque patri qui dura senectae  
 84 incolumi nato taedia ferre potest.  
 85 Siquis at adversus casus - sed triste recusat  
 86 omen inhorrescens lingua referre metu -  
 87 hoc prius, omnipotens, caeli qui templa frequentas,  
 88 ad Styga terribili fulmine mitte caput,  
 89 ad Styga mitte caput prius hoc, quam dura superstes  
 90 ante diem nati funera conspiciam.  
 91 Haec tunc ille gemens, verum interrupta frequenti  
 92 singultu, salsae flumina fudit aquae,  
 93 nec mihi nunc animum, sed mors jam degravat artus,  
 94 deficit in medio frigida lingua sono."  
 95 Sic ille, at stridens crassum vomit ore cruorem  
 96 vulnus, et e gelido sanguine vita fugit.  
 97 Proh dolor ! At magno quis possit verba dolore,  
 98 Musa licet faveat, digna referre satis ?  
 99 Ille per obscuras fauces grave olentis Averni  
 100 ingreditur nigrum non rediturus iter.  
 101 Lurida rimosam jam tranat flumina cymba,  
 102 cernit Echidnaei guttura lata canis.  
 103 At soror interea - quanta ab caligine rerum  
 104 obruimur ! - Totis noctibus urget opus  
 105 utque reversuro tenui velamina lino  
 106 consuit, heu votis fisa puella piis,  
 107 nocturnum et vario cantu solata laborem  
 108 ad breve, qui periit, tempus adesse putat.  
 109 At nobis fusco velatus somnus amictu  
 110 heu nimium veris venit imaginibus.  
 111 Nam quam porta nigri Plutonis cornea misit,  
 112 nota mihi ante oculos affuit umbra tui.  
 113 Haec properans : « Nostrae frater persolvimus, inquit,  
 114 transfuga nec venio, munera militiae.  
 115 Nunc reditum in sedes mater me accersit avitas  
 116 laetus et ad patriae limina prisca paro. »

117 Jamque vale dixit, simul et vestigia torquens  
 118 elapsa est visus umbra benigna meos.  
 119 O me infelicem ! Nox o mihi prima malorum  
 120 nuntia, quid potuit durius esse mihi ?  
 121 Excitor infelix et jam praesaga futuri  
 122 mens mihi sollicito pectore concutitur.  
 123 At mox fama ruens somnique obscura recludit  
 124 atque prius dubium narrat aperta malum.  
 125 Ex illo binos sensi mea lumina fontes,  
 126 qua mihi perpetuis imbribus ora lavant,  
 127 ex illo curae maerentis cordis edaces  
 128 noctes atque dies pectora nostra premunt.  
 129 Nec possunt docti a luctu seducere amici,  
 130 multa licet vera de ratione ferant,  
 131 nec me longa dies, lacrimas quae siccant aniles  
 132 quaeque oblita mali mollia corda levat,  
 133 sed nec Pierides, quo Manes conjugis Orpheus  
 134 demulsit, possunt me revocare sono.  
 135 At tu casta parens felix, quam praevia tanto  
 136 maerori eripuit de tribus una soror ;  
 137 nam quos heu luctus, gemitus quos dulcis acerbo  
 138 viventi natus funere concuteret !  
 139 Tu tua sensisses, ah quanto victa dolore,  
 140 viscera barbarica dilaniata manu,  
 141 cumque tuo aeternis lacrimis damnata marito  
 142 aerumnas praeter quid tibi vita daret ?

ELEGIA IN BELLO ARAGONENSI

X3\_5 v.1 Octavum nitidis implet jam cornibus orbem  
 2 errans purpureis aurea luna rotis,  
 3 ex quo mordaci praefixus corda dolore  
 4 vix cecini de te carmina Xandra decem.  
 5 Sed Musae testes et magni mater Amoris  
 6 et qui me miserum tam male vexat Amor,  
 7 nulla tui nostram cepisse obliviam mentem :  
 8 ultima si fallo lux eat ista mihi.  
 9 Sed mea mens tristi belli concussa tumultu  
 10 qui caneret dulcis proelia laeta deae ?  
 11 An<ne> ego deliciis penitusque addictus amori  
 12 mandabo imbelli carmina blanda lyrae ?  
 13 Solus et a curis communi in peste solutus  
 14 longa teram molli tempora desidia ?  
 15 Interea nostris praeda ditatus ab agris  
 16 et pecus et dominos Appulus hostis aget.  
 17 Magne Fluentinae Mavors primordia gentis,  
 18 cur fuit heu nostri tam tibi cura levis ?  
 19 An tibi Tyrreni sordent sic facta leonis,  
 20 ut nos tam subito, dive, perisse velis ?  
 21 Moenia tu Mavors Fesulis sub montibus olim  
 22 numine jussisti surgere nostra tuo,  
 23 et dixisti : Ominibus proh quam Florentia magnis  
 24 crescet ; erit Tuscis urbibus ista caput !  
 25 Nunc nostra, infandum, longa obsidione tenentur  
 26 oppida, majorum quae posuere manus.

27 Quid faciat patriae spes et tutela, Senatus,  
 28 quique decem curant bella gerenda viri ?  
 29 Stat Gallicanis exercitus alter in oris,  
 30 multaque de nostro pascitur aere cohors ;  
 31 nec facile est castris sumptus praebere duobus,  
 32 nec contemnendus hostis utrimque premit.  
 33 Hinc ruit Aragonum disrupto foedere princeps,  
 34 nec satis est terra, ni paret arma mari ;  
 35 hinc Venetae innumero complentur milite turmae,  
 36 atque urbes socias Braccius urget eques.  
 37 Sed vos, Syllanidae, si quid virtutis avorum  
 38 restat adhuc animo pectoribusque sedet,  
 39 ne gerite inceptum conducto milite bellum ;  
 40 exempla a priscis jam repetantur avis.  
 41 Audendum propriis manibus patriaeque vetustis  
 42 legibus insultet per sua castra leo.  
 43 Sitque ea vis animo, qua quondam saeva minantem  
 44 impulit audacem vertere terga Lupam.  
 45 Si valuit quondam reginas sternere turmas  
 46 hic populus patrio signa movente duce,  
 47 si Campaldinae testantur funera pugnae,  
 48 sanguine qua rubris fluxerat Arnus aquis,  
 49 si Volaterrani nostro sub Marte domantur  
 50 nec juvat excelsis moenia habere locis,  
 51 cur Nolana cohors Calabri vel principis alae  
 52 sic poterunt Fesulas nunc superare manus ?  
 53 Nondum adeo amisit vires Florentia priscas,  
 54 ut sit Campanis praeda futura viris.

AD PAULUM NE TIMEAT BELLUM ARAGONENSE

X3\_6 v.1 Etsi praeclari sint haec pia munera civis,  
 2 ut sibi sit patriae maxima cura suae,  
 3 ut varios casus semper variosque reflexus  
 4 fortunae et varias cogitet usque vices,  
 5 non tamen adversis te adeo diffidere rebus,  
 6 Paule, velim ut turpi sic quatiare metu.  
 7 Provida namque decet fidentem cautio civem,  
 8 sed timor a forti sit procul usque viro.  
 9 Sit satis, humanae quod possunt cernere mentes,  
 10 consulere et culpa non maculare caput.  
 11 Cetera linque Deis : nam Di mortalia curant,  
 12 di Florentinis saepe tulistis opem.  
 13 Saepeque majores urbs haec experta tumultus,  
 14 saepeque majori venit ab hoste metus.  
 15 Quis turmas equitum nescit peditumque cohortes  
 16 Caesaris Herrici Teutonicasque minas ?  
 17 Hic opibus magnique Augusti nomine fretus  
 18 sperarat Fesulam perdere posse domum.  
 19 Quin etiam ad Salvi posuit praetoria templum  
 20 et tetigit castris moenia nostra suis ;  
 21 mox tamen effugiens multa virtute ruentes  
 22 non tulit Etruscos in sua terga viros.  
 23 Nam quid Topori cladem mediaque receptas  
 24 Morte acies socium vinclaque rupta canam ?

25 Urbi nempe mihi nostrae hoc dare fata videntur,  
 26 possit ut adversis spe meliore frui.  
 27 Testis tu nobis dum, Piccinine, Mugelli  
 28 per juga terribilis Gallica signa rapis.  
 29 Quando alias meliore duce et melioribus armis  
 30 Bebriacus Lydum terruit imperium ?  
 31 Quin Florentinus comitem se fecerat exul,  
 32 cresceret ut nostra seditione malum.  
 33 Ergo hominum atque boum vastantur culta labore  
 34 et ferro et flammis plurima tecta cadunt.  
 35 Heu memini, insolito trepidant dum Marte, colonos  
 36 vicinas urbi deseruisse domos.  
 37 Hostibus adversis et Fullonaria cessit,  
 38 quam removet nostra quintus ab urbe lapis.  
 39 At vos aeterni mortali e semine divi,  
 40 Syllanum quibus est maxima cura genus,  
 41 Insubris exuvias vos atque inversa Philippi  
 42 jussistis vestro pendere signa tolo.  
 43 Tu tibi Romulidae spoliū affectare leonis  
 44 Piccinine tuis viribus ausus eras.  
 45 At secus evenit Liguremque Anglaria vallis  
 46 Tyrrhenis vidit cedere militibus,  
 47 rebus et infractis vidit te turpe latentem  
 48 turpeque mutata carpere veste fugam.  
 49 Ergo amissa tuo redierunt oppida bello ;  
 50 nec tamen est nobis haec rediisse satis.  
 51 Namque Casentinas quicquid possederat olim  
 52 Regulus, antiquae stirps generosa domus,  
 53 omne Fluentino nova praeda adjungitur agro.  
 54 Sic o sic, quisquis foedera rumpit eat !  
 55 Sic quondam, Catilina, tuae Pistoria cladis  
 56 urbs memor in nostras ire coacta manus,  
 57 sic Pratense solum, sic pingua culta Bisenti,  
 58 et quae parvus aquis irrigat Umbro suis.  
 59 Nam quis Pisanas magno in certamine vires  
 60 aut quis Parrhasiae nesciat urbis opes ?  
 61 Omnibus imperii certatum viribus hic est,  
 62 cum populus nollet arcas habere pares.  
 63 Di reprimunt fastus et nulla superbia longa est,  
 64 quique pares refugit, cogitur esse minor.  
 65 Ergo focos arasque deum sacra atque profana,  
 66 quamvis ille ferox, sub juga nostra dedit.  
 67 Denique si solers annales volvere priscos  
 68 et studeas populi noscere facta tui,  
 69 per quos ah casus, per quanta pericula cernes  
 70 ex humili hunc summum jam tetigisse gradum.  
 71 Nam qui olim armati bello impendente timebat  
 72 emporii promptas in sua damna manus,  
 73 Tyrrhenas inter nunc admirabilis urbes  
 74 extat, et Etruscis quis neget esse caput ?  
 75 Et credemus adhuc tanta ad fastigia rerum  
 76 venisse ut Calabro sit nova praeda duci,  
 77 quin ultro injusti contundet saeva tyranni  
 78 arma ? Pias causas numina sancta fovent.  
 79 Ergo agite et primis felicia castra movete  
 80 ominibus : vates omnia fausta canunt.

81 Et mihi Pierides jam prospera signa puellae  
 82 ostendunt certa non caritura fide.  
 83 Jamque dies aderit cum Florentine fugatis  
 84 hostibus exsolves maxima vota deis.  
 85 Tunc ego captivos longa procedere pompa  
 86 aspiciam et vinctos post sua terga duces,  
 87 victoresque sequi nostros ; tum maxima sanctis  
 88 ignibus et ture templa calere novo.  
 89 Spectatorque aderit populus plausuque frequenti  
 90 turba salutantum carmina festa canet.  
 91 Hunc ego, Paule, diem quamquam mihi vita jucunda est,  
 92 natali potero praeposuisse meo.  
 93 Namque hinc Saturni consurgent aurea prisca  
 94 saecula, florentis otia pacis erunt.  
 95 Mos etenim Fesulo semper fuit ista leoni,  
 96 victor ut in victis mitior usque foret ;  
 97 mos fuit adversos pro libertate tyrannos  
 98 comprimere, at victis mollia jura dare.  
 99 Nam bellum semper nos hac ratione movemus,  
 100 ut pacem praeter nil voluisse putes.

EULOGIUM IN CAROLUM ARRETINUM

X3\_7A v.1 Ergo immaturo, nec te tua sancta juvabit,  
 2 Carle, fides, nobis funere raptus abis ?  
 3 Sed vos dum vestri celebramus funera vatis,  
 4 dicite Pierides carmina pauca mihi ;  
 5 dicite, sed tanto sint quae dicenda poetae,  
 6 efficite ut nostro crescat in ore sonus.  
 7 Occidit heu Latiae lumen splendorque Camenae,  
 8 Carolus Etrusci gloria magna soli ;  
 9 Carolus Aonio qui vos de monte vocabat,  
 10 viseret Etrusca vester ut antra chorus.  
 11 Ergo ut defunctum luxit Verona Catullum,  
 12 utque tuum flevit Umbria, Nauta, rogam,  
 13 Lesbos ut Alcaeo simul et tibi, mascula Sappho,  
 14 legitimas merito contulit inferias,  
 15 sic pia nunc doctum luget Florentia vatem  
 16 et quaerit tumulo praemia digna suo.  
 17 At vos crudeles, o ferrea pectora, Parcae  
 18 ante diem quid vos hunc rapuisse juvat ?  
 19 Non ego mortali immortalem sorte creatum  
 20 optabam aut cervi saecula longa seni,  
 21 sed veteris ternos Saturni evincere cursus  
 22 humana potuit conditione dari.  
 23 Hoc fas, hoc fuerat jus : sed nunc publica cura,  
 24 heu, jacet in gelido corpus inane toro,  
 25 purpureaque toga clarus Phoebique corona  
 26 jam subit obscurum non rediturus iter.  
 27 Lucida praecedunt longa funalia pompa  
 28 et signa a multis tradita principibus.  
 29 Namque sua antistes tibi dat vexilla Latinus,  
 30 ex illo hoc magni pignus amoris habes.  
 31 Aureaque hinc Galli succedunt lilia regis,  
 32 illinc Bebriaci signa superba ducis.

33 Quarta Fluentini sequitur crux rubra leonis,  
 34 nam sunt haec populi munera magna tui.  
 35 Nam quid ego Arreti, quod te patriaeque parentem  
 36 quodque decus dicit, ultima dona loquar ?  
 37 Ipsa tuum subeunt gymnasia nostra feretrum,  
 38 doctaque turba pio fungitur officio.  
 39 Assunt quaterni quaterna e classe tribuni,  
 40 quique decem curant bella gerenda viri,  
 41 assunt custodes magnae bis quattuor urbis,  
 42 quosque magistratus longa referre mora est.  
 43 At vos in primis, Guelphae quibus inclita sectae  
 44 est aquila in viridi facta dracone potens,  
 45 nec non Syllani populariter inde Quirites  
 46 certatim celebrant triste ministerium.  
 47 Omnia supremo possunt quae tempore reddi,  
 48 reddita sunt tumulo, docte poeta, tuo ;  
 49 nec tamen heu quisquam meritos impendere honores  
 50 sat putat. Huic vati quid satis esse potest ?  
 51 Quis tenuit lacrimas ? Quis non crudelia dixit  
 52 Astra ? Quid in tota non fuit urbe dolens ?  
 53 Sed quod praecipuum est, magni suspiria Cosmi  
 54 et lacrimas tanto vidimus ire viro.  
 55 Quin et vicinos dicunt gemuisse leones,  
 56 et triviis fidos exululasse canes.  
 57 Ipsae per montes sacrataque flumina Nymphae  
 58 solverunt maestas in sua colla comas ;  
 59 sed tamen ante alias pulcherrima sola sororum  
 60 ploravit natum Calliopea suum.  
 61 Hanc aderant circum Phoebus doctaeque Sorores,  
 62 frigida Parnasi quae juga summa tenent,  
 63 nec liquido ut quondam mulcebant aera cantu,  
 64 nec cithara in manibus nec coma culta fuit.  
 65 Squalebant atris in vestibus ipsaque laurus  
 66 Castalii frondes vidit abire suas.  
 67 Quin et Gorgonei quas eruit ungula monstri,  
 68 Bellorophontaeae delituistis aquae.  
 69 Heu tunc fata pii damnans immitia nati  
 70 edidit hos questus Calliopea novos :  
 71 "Quod scelus admisit vel quo vos crimine Parcae  
 72 laeserat ? An tristis vos quoque livor habet ?  
 73 Huic ego cum primae polleret flore juventae  
 74 versibus in lyricis aurea plectra dedi.  
 75 His juvenum curas et mobile pectus amantum  
 76 lusit et aligeri regna superba dei.  
 77 His etiam laudes rectae et virtutis amorem,  
 78 quem sequitur vera nobilitate decus.  
 79 At matura gravem multis ubi fecerat aetas  
 80 artibus et poterat carmen hiare novum,  
 81 me duce Cirrhaei vatis deductus in antrum,  
 82 silva quod horrenti laurea fronde tegit,  
 83 hic tantum a Phoebos suscepit mente furoris,  
 84 Maeonius quantum ceperat ante senex.  
 85 Sic igitur majora sonans jam pectore pleno  
 86 ausus sublimis spiritus alta loqui ;  
 87 ausus quod vatum pauci de stirpe priorum,  
 88 ausus quod veteres vix potuere patres,

89 ut quod Smyrnaeo cognoscunt carmine Grai,  
 90 hoc legerent Italo saecula nostra pede.  
 91 Spes hominum fallax, medio quae perfida cursu  
 92 saepe cadens miseris irrita vota facit.  
 93 Nam quod jam multos frustra vigilaveris annos,  
 94 cum minus heu credes, auferet una dies.  
 95 I nunc, Cecropiis vigilantanti pectore chartis  
 96 insuda, ut veterum dogmata prisca legas,  
 97 et nunc Socratici noscas praecepta Platonis,  
 98 nunc quod Aristotelis pagina multa docet.  
 99 Tu mundi secreta paras atque abdita rerum  
 100 discere : quid caelum, quid mare, terra ferat,  
 101 unde genus nostrum, vel quo plantaria surgant  
 102 sidere, num cuncta haec ignis et humor alat,  
 103 unde nives volitent, curque humida grando rigescat,  
 104 qua vi de summo fulmina torta ruant,  
 105 quid natura petat, rectae quae munera vitae,  
 106 et quae sint animi vera putanda bona.  
 107 Scilicet hoc memori divino pectore Carlus  
 108 noctes atque dies advigilabat opus,  
 109 artibus ut post haec vates suffultus honestis  
 110 Maeonia posset digna referre tuba.  
 111 Jam Danaum morbos Phoebique furentia tela  
 112 dixerat et densis funera nigra rogis,  
 113 Pelidaeque animos et verba minantis Atridae  
 114 quique bonus fuerat Nestora consiliis,  
 115 sacraque navigiis ad Chrysam vecta Pelasgis,  
 116 redditaque irato pignora cara patri.  
 117 Tunc etenim culti torrentem sensimus oris  
 118 qui foret et quantum surgeret ingenium,  
 119 quantum divini spirarent corda furoris,  
 120 cresceret et quanto splendida lingua sono.  
 121 Heu jam felici Carlus turgentia vento  
 122 ausus erat vasto credere vela mari,  
 123 jam procul a terra scopulisque vadisque relictis  
 124 currebat celeri per freta longa rate.  
 125 Ecce autem, infandum, subito nil tale timenti  
 126 mutavit faciem fors inimica suam.  
 127 Nam subito fluctu vastaque impulsa procella  
 128 mersa est in mediis naufraga puppis aquis,  
 129 quae si speratum tetigisset sospita portum  
 130 et pleno intrasset ostia tuta sinu,  
 131 nullo Arnus tantum sese jactasset alumno,  
 132 egregios quamvis viderit ante senes."  
 133 Talia maesta parens flebat, sed plura parentem  
 134 non tulit infandus addere verba dolor,  
 135 pluraque dicturae rumpunt suspiria pectus  
 136 et flendo mediis deficit in lacrimis.  
 137 Te Florentini gymnasia docta leonis,  
 138 natorum ut luget turba relictata patrem,  
 139 te rebus dubiis nunc publica cura Senatus  
 140 advigilans tanto cive carere dolet.  
 141 Intima tu magni noras praecordia Cosmi  
 142 et quaecumque sacro pectore clausa tenet,  
 143 nec comitem rebus dubiis te respuit unquam,  
 144 consuleret populo cum bonus ille suo,



145 tu felix, tanti posses qui principis aures  
 146 implere et tanto grata referre viro.  
 147 Namque tibi ingenium veloxque tenaxque reperti  
 148 plurima quod posset condere mente fuit.  
 149 Adde tot egregias artes vitaeque magistrum  
 150 adde usum et longa multa notata die.  
 151 Legerat historias omnes et legerat omnes  
 152 annales, priscum maxima facta virum.  
 153 Nemo quidem melius Romani aenigmata juris  
 154 solvit et ambiguus vincula caeca reis.  
 155 Nam quid ego aeterno labentia sidera cursu  
 156 aut referam certis cognita signa locis ?  
 157 Te maris undisoni, te quae gerit omnia terrae  
 158 mensorem certa novimus esse fide.  
 159 His te purpureis sublimem ad sidera pennis  
 160 docta per ora virum Carule fama levat,  
 161 nec ventura tuas reticebunt saecula laudes,  
 162 neve teget nomen qui tegit ossa lapis.  
 163 Dumque Fluentini vestigia magna leonis  
 164 molibus ostendet Curia celsa suis,  
 165 dumque domos Medicum magnique palatia Cosmi  
 166 suspiciet stupidis advena luminibus,  
 167 usque tui de te dictabunt maxima cives,  
 168 livida nec poterit lingua nocere tibi.  
 169 Elysios igitur lucos umbrasque beatas,  
 170 nam sic fata jubent, docte poeta, petes.  
 171 Illic quos genitor produxit in omnia Nilus,  
 172 quique artes primum perdocuere bonas,  
 173 quos genuit Persis, quos et Babylonia tellus,  
 174 doctorum occurrent maxima turba tibi,  
 175 illic Cecropiae quot jam vidistis Athenae,  
 176 et quisquis Latii claruit urbe Remi :  
 177 sed tu Tyrrhenae gentis contentus honore  
 178 Etruscis cupies semper adesse tuis.  
 179 Sunt in secessu liquidi prope fluminis undam  
 180 quae rident herbis prata decora novis ;  
 181 quot natura tulit, tot habent haec prata colores  
 182 pictaque diverso flore relucet humus.  
 183 Non illic Phrygiis suspensa theatra columnis  
 184 nec sunt artificii plurima facta manu.  
 185 Sponte sua variis consurgit mixta rosetis  
 186 buxus nativis sedibus unus honor ;  
 187 desuper et platani castae Daphnaeaeque laurus  
 188 extendunt sacrum fronde virente nemus.  
 189 Flumen habet cycnos, at caetera turba volantum  
 190 permulcent liquidis ruris amoena modis.  
 191 Non illic rapidos accendit Sirius aestus,  
 192 nec riget Arcturi sidere tristis hiems,  
 193 sed levibus Zephyris et lenis flatibus aerae  
 194 aeterno ridens tempore vernat ager.  
 195 Hic Fesulae placuit sedem componere genti,  
 196 huc veniens priscos dinumerabis avos.  
 197 Nam qui pulchra tuos cecinit, Proserpina, raptus,  
 198 prima tenet vates primus in urbe sua.  
 199 Cui nec concedit qui terras sidera Manes,  
 200 quod stupeant omnes, evigilavit opus.

201 Hunc juxta Gallam Tyrrheno carmine Lauram  
 202 qui canit et Latio Punica bella pede.  
 203 Hic et Boccaci spectabis nobile nomen,  
 204 qui pinxit varium doctus amoris opus.  
 205 Nec Leonardus abest, tibi qui Florentia tantum,  
 206 quantum Romanis Livius ipse dedit.  
 207 Enumerare mora est variis quos artibus olim  
 208 edidit illustres lenibus Arnus aquis.  
 209 Hic te certa manet sedes vitaeque laborum  
 210 hic bene transactae praemia, Carle, feres.  
 211 At nos aeterni sint quae monimenta decoris  
 212 addemus tumulo carmina nostra tuo :  
 213 urbs tulit Arreti Carlum, Florentia lauro  
 214 cinxit, at ingenium Calliopea dedit.  
 215 Luserat hic lyricos ; mox dum traducit Homerum,  
 216 occidit heu patriae gloria magna suae.

ALIUD EPITAPHIUM CARULI ARRETINI

X3\_7B v.1 Ampla tenent quicquid radiantis moenia mundi,  
 2 non est humanae noscere mentis opus.  
 3 Et tamen haec Carlus norat ; sed condere versu  
 4 dum parat et nato Calliopea favet,  
 5 Heu, ternae invidia motae vetuere sorores :  
 6 sic cecidit nostri gloria quanta soli.

ALIUD

X3\_7C v.1 Quid sumus heu miseri ! Terras en sidera Manes  
 2 qui norat, tenuis pulvis et umbra jacet.  
 3 At lauro non hunc cinxit Florentia Carlum,  
 4 sed docuit, sacris quem pia turba colit.

EPITAPHIUM DANTIS POETAE

X3\_8 v.1 Norat qui terras, clari qui sidera mundi  
 2 dixit et infernos tertia regna lacus :  
 3 ille ego sum Dantes, Tusco me carmine vatem  
 4 ornavit lauro pulcher Apollo sua.

ALIUD

X3\_9 v.1 Mantua Virgilium, Smyrnae mirantur Homerum,  
 2 quippe decus Latiis hic venit, ille suis.  
 3 Nunc paribus celebret mater Florentia Dantem  
 4 laudibus : Etruscae nam decus omne lyrae est.

EPITAPHIUM FRANCISCI PETRARCAE POETAE

X3\_10 v.1 Quantum Pindarico vix debet Graecia plectro  
 2 et quantum Latia vix tibi Flacce lyra,

3 tantum Etrusca pio concessit Musa Petrarcae,  
4 quo celebri fama Laura pudica viret.

## ALIUD

X3\_11 v.1 Cantasti patrio Tyrrhena poemata versu,  
2 cantasti Latio Punica bella pede :  
3 hinc te fronde sua Phoebus, Petrarca, coronat,  
4 hinc, vates, Fesula doctus in urbe vires.

## DE SIBYLLA

X3\_12 v.1 Bis quinas toto nosti, reor, orbe Sibyllas,  
2 quas inter palmam tu mihi jure dabis.  
3 Namque ego venturum mundi in nova gaudia Christum  
4 Cumano cecini vaticinata solo.

## DE FARINATA UBERTO

X3\_13 v.1 Guelpha meo, fateor, superavimus agmina ductu,  
2 sanguine cum rubris Arbia fluxit aquis ;  
3 sed tamen ut priscas teneas, Florentia, sedes,  
4 sola Farinatae mens tibi magna dedit.

## TAMYRIS SCYTHARUM REGINA

X3\_14 v.1 Bis centena tuo, Thamyris, sub milite Cyrus  
2 Massagetum vidit milia caesa jugis.  
3 Sanguinis et cupidum, nato placitura sepulto,  
4 mersisti in pleno sanguinis utre caput.

## AD IOHANNEM SALVETTUM DE LAUDIBUS MAGNI COSMI

X3\_15 v.1 Quid tu me totiens, Salvetti, impellere tentas,  
2 ut referam grandi tristia bella pede ?  
3 Quid veterum pugnas regum clarosque triumphos,  
4 et quae sint terra, quae bene gesta mari ?  
5 Nescis heu tenuis nostro ut de pectore surgat  
6 spiritus, ut surdum buccina nostra gemat ?  
7 Magnos magna decent Salvetti proelia vates ;  
8 mi sat erit tenues ludere posse jocos,  
9 nequitiasque meae tenui describere Xandrae  
10 carmine et insidias, magne Cupido, tuas.  
11 Quod si Pierio quondam licuisset in antro  
12 percipere Aonii numina sancta chori,  
13 aut si me Phoebus tanto dignatus honore  
14 frondibus ornasset tempora nostra suis ;  
15 non ego magnanimi cantarem Caesaris arma,  
16 non ego Scipiadas, fulmina bina, duces,  
17 non celerem cursum properataque castra Neronis,  
18 Hasdrubalis victrix cum tulit hasta caput ;

19 denique non Latiae quaecumque egere secures,  
20 consulis imperio cedere regna gravi :  
21 sed Florentinae canerem primordia gentis,  
22 nobile Syllanum tempus in omne genus ;  
23 Syllanumque genus, Romana a stirpe colonos,  
24 a patribus nunquam degenerasse suis.  
25 Ah, quos ista viros tellus tulit, et quibus olim  
26 viribus Etruscum nomen in astra tulit !  
27 Quos magnus tantum Cosmus supereminet omnes,  
28 Eoum quantum signa minora jubar :  
29 nostra igitur magnum cantabit pagina Cosmum,  
30 inceptis gravibus tu modo Musa fave.  
31 Musa fave coeptis : non hic fera monstra Gigantum,  
32 nec quicquid mendax Graecia finxit, inest.  
33 Vera canam et verae referam virtutis honores,  
34 et quae sint Medica praemia digna domo.  
35 Testis erit populus, testis mihi, Cosme, senatus,  
36 urbe tua uno te clarius esse nihil.  
37 Verum unde initium, quae prima aut ultima ponam ?  
38 Nos inopes rerum copia tanta facit.  
39 Hinc patriae pietas, illinc prudentia, rebus  
40 hinc se offert miseris, Cosme, benigna manus.  
41 Nam qui te patriae non dicat jure parentem,  
42 hunc hominis pectus non habuisse putem.  
43 Magnus erat Caesar, sed magnus Caesar in armis ;  
44 at tu Cosme tua major in urbe toga es.  
45 Ille armis, patriam saevaue tyrannide pressit,  
46 te libertatis unica cura tenet ;  
47 illum hostem vidit desertae Curia Romae,  
48 hostes e patria tu procul urbe fugas.  
49 Egregia haec virtus magna et constantia civis,  
50 humanis et quae rara sit ingeniis :  
51 quos opibus post te, quos et virtute relinquo,  
52 hos tibi consimiles, inclite Cosme, pati.  
53 Nam qui magnarum rerum dum tractat habenas  
54 privati potuit civis habere modum,  
55 hunc ego non homini, quamvis in cuncta modesto,  
56 sed similem superis esse putabo deis.  
57 Heu majora meis video me viribus urgent,  
58 nec sunt ista quidem carminis hujus opus.  
59 Hic ego, quo Phrygii dixisti facta parentis,  
60 nunc Publi cuperem carmen habere tuum.  
61 Nam cur sit Cosmus tali indignandus honore,  
62 aut mereat tantam cur magis ille tubam ?  
63 Aeneas Trojae flagrantia tecta reliquit  
64 et duce vix potuit carpere matre fugam ;  
65 bellorum at contra diversa incendia Cosmus  
66 civibus exstinxit, portus et aura suis.  
67 Nec victa Aeneam patrios ex urbe Penates  
68 atque viae comites eripuisse negem ;  
69 sed magis est patria templis in sede dicatis  
70 munera tanta piis exhibuisse sacris.  
71 Hoc et Laurenti sublimibus alta columnis  
72 templa docent opibus facta superba tuis,  
73 templa docent Marci mira et testudine dives  
74 porticus et sacra fronde virente nemus,

75 et quae vicinus semper mirabitur Arnus,  
 76 addita Christiferae plurima tecta Cruci.  
 77 Aeneam laudant humeros tardante senecta -  
 78 quis neget esse pium ? - Supposuisse patri ;  
 79 sed quisquis vidit quo funere utrumque parentem  
 80 extulerit Cosmus, esse putabit idem.  
 81 Quod si ille Ascanium, spes esset ut altera Romae,  
 82 edidit, unde domus Julia nomen habet,  
 83 hic geminam eduxit patriae duo lumina prolem,  
 84 esset ut haec Medicum gloria magna domus.  
 85 Quorum qui major quantum, ah Florentia, nomen,  
 86 dum redit e Venetis rettulit ille tibi !  
 87 Huic leo Tyrrhenus nec non et Gallicus anguis  
 88 et belli et pacis jus simul omne dedit ;  
 89 nunc dignum tantae ferret qui pondera molis  
 90 exitus exacti foederis esse probat,  
 91 sed quid ago, ah, demens ? An grandi digna cothurno  
 92 versibus exiguis ludere facta paro ?  
 93 Di tibi dent alios, insignis Cosme, poetas,  
 94 qui tua facta suis versibus aequiparent :  
 95 incautum nam me tantarum gloria rerum  
 96 dum rapit, in medio deficit ore sonus.

AD IACOBUM AZAROLUM DE LAUDIBUS MAGNI COSMI ET DOMUS AZAROLAE

X3\_16 v.1 Saepe meas supra vires me cogis, amice  
 2 Azarole, novis heroum in proelia surgam  
 3 versibus et spretis elegis horrenda canoro  
 4 bella sono referam. Vel si civilia malo  
 5 consilia et multa claros virtute togatos  
 6 ad caelum meritis extollere laudibus oras,  
 7 Jacobe, magnanimi referamus ut inclita Cosmi  
 8 facta, Sophocleo non dedignanda cothurno.  
 9 Quid faciam ? Pudor est tibi si parere negabo :  
 10 sed nimium gracilis rauco de pectore surgit  
 11 spiritus et primo desit mihi versus in ore.  
 12 At vos si quondam tanto me munere dignum,  
 13 quae juga Gorgonei fontis rorata liquore  
 14 incolitis, Phoebos gratissima numina Musae  
 15 feceritis, si vestra mihi nemora alta patebunt,  
 16 tunc ego non humilis ventura in saecula vates  
 17 cantabo magnum sublimi carmine Cosmum.  
 18 Cosmum qui tanti mensuram nominis implet,  
 19 Cosmum Tyrrheni moderantem frena leonis.  
 20 Cosmum qui Latios privatus transvolat omnes  
 21 virtute atque opibus reges, ducibusque togatus  
 22 praevalet in rebus dubiis. Nam pectore fido  
 23 consilia expromit, quibus et Campana fugemus  
 24 finibus Etruscis, Etrusco milite, castra,  
 25 et quibus ad Sanum revocentur stulta Lupai  
 26 coepta, Fluentinam rumpentia saepe quietem.  
 27 Ergo an pace prius Cosmum miremur an armis,  
 28 incertum : sed pace simul mirandus et armis,  
 29 Cosmus erit, Cosmo resonabit pagina. Sed tu  
 30 post magnum Cosmum venies mihi cura secunda,

31 Azarola domus, multis ditata trophaeis.  
 32 Nam tibi Cecropiae parent Tritonidis arces,  
 33 tu regis anguigenas Mavortia moenia Thebas,  
 34 tu quicquid veteres olim tenuere Pelasgi  
 35 imperio cohibes ; tibi dives Apulia magni  
 36 tutelam regni et summum mandavit honorem.  
 37 Adde et tot merita in patriam, tot maxima facta,  
 38 adde et templa deum multo constructa decoro.  
 39 Verum praecipuos inter numerandus alumnos  
 40 Angelus, egregia nulli virtute secundus,  
 41 emicat. Hic duris rebus, mandante Senatu,  
 42 eloquioque potens prudenti et pectore fretus  
 43 Gallorum nobis adjunxit foedere regem,  
 44 Gallica perque Alpes eduxit castra nivales ;  
 45 castra tibi auxilio, fortuna urgente, futura,  
 46 inclite Sfortiada. Gemino nam pressus ab hoste,  
 47 partitis tantae turmis te opponere moli  
 48 Braccia nec poteras solitis impellere signa  
 49 viribus. At postquam diversa e parte tumultus  
 50 Gallorum adventu Taurinaque bella quierunt,  
 51 tunc tua quid virtus invictaque dextera posset  
 52 nobilis experta est amisso Brixia campo,  
 53 et qui se infami vallo tutoque tenebant  
 54 aggere Marcicolae turpi formidine capti.  
 55 Bebriacis igitur sic venit terror ab armis,  
 56 sic sua Tyrreno crevit reverenda leoni  
 57 majestas, aequis sic conditionibus orta  
 58 otia, quae nostri nolint turbare nepotes.  
 59 Atque olim memores placida dum pace fruentur  
 60 auctorem tanti noscant te muneris omnes,  
 61 Angele, sicque tuum vivat per saecula nomen.

AD PETRUM MEDICEM DE LAUDIBUS POGGI

X3\_17 v.1 Jam gelidum nigris subvecta per aera bigis  
 2 nox maris occiduas prona subibat aquas,  
 3 cum matutine Thetis statione relictas  
 4 Oceanum rutilo Lucifer exit equo.  
 5 Hic mihi Castalii nemoris regina nitentes  
 6 venit Apollinea fronde revincta comas.  
 7 Nulla tamen docto resonabant pollice fila,  
 8 nec fuit in levi barbiton ulla manu,  
 9 sed tamen ut maesto tristis dedit ore querelas  
 10 cognita mi voce est Calliopea sua ;  
 11 haec ita : "Proh vestri scelus atque infamia saeculi,  
 12 proh dolor, heu, Musis hiccine venit honos ?  
 13 Hiccine venit honor Musis, quis semper Etrusca  
 14 supremus fuerat hactenus urbe locus ?  
 15 Te propter Graios olim Florentia fontes  
 16 et nemus et Clarii linquimus antra dei,  
 17 nec piguit Fesulos montes nec claustra Mugelli  
 18 neve Casentini visere saepe juga.  
 19 Quin et aquas placidi nobis sacravimus Arni,  
 20 seque suo castus lavit in amne chorus,  
 21 ut nobis celebres vates celebresque venirent

22           rhetores et quicquid floret in historia.  
 23 Hinc Dantes terras et clari sidera caeli  
 24           dixit et infernos tertia regna lacus ;  
 25 hinc tu divino, Petrarca, incensus amore  
 26           cantasti Laurae cygnea colla tuae.  
 27 Cantasti patrio Tyrrhena poemata versu,  
 28           cantasti Latio Punica bella pede.  
 29 Nam quid Boccacci lusus, quid docta Colucci  
 30           dicta Salutati nunc numerare juvat ?  
 31 At nuper Tuscae dedimus duo lumina genti,  
 32           quales rara solent saecula ferre viros.  
 33 Gesta Fluentinum descripserat alter et arma  
 34           quaeque notanda domi quaeque notanda foris ;  
 35 alter Cecropiis imbutus pectora chartis  
 36           viribus ingenii subdidit artis opus.  
 37 Nemo magis dubiis potuit cognoscere rebus  
 38           utile nec docto promptius ore loqui.  
 39 Ille etiam nostri nemoris pius incola fonte  
 40           cum biberet tota proluit ora sacro ;  
 41 hinc cecinit lyricos ; mox dum traducit Homerum  
 42           occidit heu patriae gloria magna suae.  
 43 His ego Daphnaea populo plaudente corona  
 44           ornavi propria tempora docta manu.  
 45 Nam duce me quondam magni secreta palati  
 46           mandarat tantis Curia vestra viris.  
 47 Sic olim vestram semper celebravimus urbem,  
 48           dum meruit magnus praemia digna labor.  
 49 Nunc ne defunctis dignus successor abesset,  
 50           instructum egregia misimus arte virum.  
 51 Hunc nos irriguis Parnasi eduximus arvis,  
 52           Bellorophontei qua fluit unda feri,  
 53 et dedimus gravibus dictis placidoque lepore  
 54           edere grandiloquo verba soluta sono.  
 55 Ergo quis docti divina volumina Poggi  
 56           nesciat et libris cuncta referta suis ?  
 57 Ah quam precipiti stultos conturbat avaros  
 58           fulmine, quam veras imprimit ille notas,  
 59 quamque asper retegat qui summa in pelle decori,  
 60           dum lateant, alacres in scelus omne ruunt.  
 61 Hic nihil esse docet miseris mortalibus usquam  
 62           humana majus conditione malum.  
 63 Atque docet varios fluxus variosque reflexus  
 64           fortunae et jussu cuncta movenda suo,  
 65 quamque sit infelix cujusvis principis aula,  
 66           ipsa licet veri nescia turba neget.  
 67 Et recte addubitat senibus ducenda sit uxor,  
 68           cum multum teneat utraque causa mali.  
 69 At te nobilitas generoso pectore veris  
 70           laudibus a vulgo jam procul ipse canit.  
 71 Nec te praeteriit, rerum fortissime Caesar,  
 72           nec te cui nomen Africa victa dedit.  
 73 Sed longum est monumenta viri si cuncta revolvam,  
 74           nec praesentis opus temporis esse reor.  
 75 Multa puer, juvenis descripsit plura senexque  
 76           plurima nec salibus nec gravitate carens.  
 77 Quam variis redimita novi sub sidere Tauri

78 floribus in verno tempore ridet humus,  
 79 tam varia in doctis resplendent lumina chartis,  
 80 tam varius signat splendida verba color,  
 81 ut qui purpurea distinguit veste lapillos,  
 82 quo referat multum discolor aura decus.  
 83 Quin etiam ut veterum erueret monumenta virorum  
 84 nec sineret turpem tot bona ferre situm,  
 85 ausus barbaricos populos penitusque reposta  
 86 poscere Lingonicis oppida celsa jugis.  
 87 Illius ergo manu nobis, doctissime rhetor,  
 88 integer in Latium, Quintiliane, redis ;  
 89 illius atque manu divina poemata Sili  
 90 Italicis redeunt usque legenda suis.  
 91 Et ne nos lateat variorum cultus agrorum,  
 92 ipse Columellae grande reportat opus,  
 93 et te Lucreti longo post tempore tandem  
 94 civibus et patriae reddit habere tuae.  
 95 Tartareis potuit fratrem revocare tenebris  
 96 alterna Pollux dum statione movet,  
 97 conjugis at rursus nigras subitura lacunas  
 98 Eurydice sequitur fila canora sui,  
 99 Poggius at sospes nigra e caligine tantos  
 100 ducit ubi aeternum lux sit aperta viros.  
 101 Rhetora, philosophum, vatem, doctumque colonum  
 102 merserat in nigra barbara nocte manus :  
 103 Poggius hos vita potuit donare secunda,  
 104 dum mira turpi liberat arte situ.  
 105 Nec satis est ex se quod scripsit quodque vetusta  
 106 eruit e tenebris multa labore suo ;  
 107 verum etiam Graios nostro sermone libellos  
 108 vertit in antiqua nobilis historia.  
 109 Et nunc, o mores, o tempora, debitus illi -  
 110 ferre quis hoc poterit ? - Eripietur honos.  
 111 Ah tantum vobis licuit, civilia jura,  
 112 Pieridum casta pellere sede chorum :  
 113 formula quae vobis, quae competit actio summum  
 114 per scelus audaces inseruisse manus ?  
 115 Non ego Tyrrena posco vos pellicer urbe,  
 116 nec sua causidicis praemia digna nego.  
 117 Auro cingantur nitido semperque superbos  
 118 ingenti titulos ambitione gerant,  
 119 et pretio ingenti sanctarum aenigmata legum  
 120 arbitrio veniant discutienda suo ;  
 121 denique si fas est inter mortalia regnent,  
 122 illorumque brevis cuncta libellus agat.  
 123 A nobis tantum, si qua est reverentia divos  
 124 quae colat, a nobis jam cohibete manus.  
 125 Nam quae vobiscum nobis commercia, quae  
 126 consimilis vitae mos ratione fuit ?  
 127 Nos neque clamores sequimur nec praemia voci  
 128 poscimus et casta nil nisi sarta juvant ;  
 129 vos inter strepitus fas est turbamque sonantem  
 130 spargere clamoso jurgia multa foro,  
 131 insanasque sequi lites rabidoque tumultu  
 132 venali tristes voce citare reos.  
 133 Sed quid ego haec frustra, cum jam civilia jura



134 per fraudem posito jus sibi jure parent ?  
 135 Et poterit Medices veteres oblitus amores  
 136 oblitusque mei talia facta pati ?  
 137 Non poterit, neque enim Latiis est alter in oris,  
 138 reddere pro meritis qui magis aequa velit.  
 139 Quin et Musarum sacro percussus amore  
 140 et noctes studiis invigilatque dies.  
 141 Rhetores hinc omnes novit sanctosque poetas  
 142 et veterum callet dogmata prisca patrum ;  
 143 hinc etiam doctus doctis indulget amice  
 144 atque inopes opibus consilioque fovet.  
 145 Nec Maecenatis fuerat clementia major,  
 146 communis vatum cui dedit astra favor.  
 147 Ergo hujus gremio nostrum nomenque decusque  
 148 ponimus : hic nobis rite patronus erit.  
 149 Hic etenim fessas e tempestate Camenas  
 150 in tutos referet restituetque sinus ;  
 151 Hoc duce nostra pio sedes reddetur alumno,  
 152 et stabunt doctis praemia digna viris.  
 153 Nec tamen immemores dicet nos muneris ille,  
 154 nec veniet merito gratia parva suo.  
 155 Nam surget quandoque meo de fonte poeta,  
 156 qui magnum Petri nomen in astra ferat.  
 157 Qui referat magnumque Petrum Cosmumque parentem,  
 158 egregium patriae lumen utrumque suae.  
 159 Ille modo niveo reddat sua flumina cygno,  
 160 impleat et liquida voce canorus aquas.  
 161 Flumina reddantur cygnis, quae limpida quondam  
 162 Bellorophonteos sint aditura lacus.  
 163 Qui nisi praeduros adamantas pectore gestet,  
 164 solerti favos reddere nolit api ?  
 165 Reddite jam dulces apibus, jam reddite favos :  
 166 hinc vobis posthac plurima mella fluent."  
 167 Haec et plura mihi : sed quis meminisse deorum  
 168 cuncta queat ? Maesto Musa locuta sono est.  
 169 Mox sua dum celeri vertit vestigia passu :  
 170 "Cuncta - ait - haec Medici dixeris atque vale.  
 171 Cuncta ! " ait atque abiens, nequid sibi triste videret,  
 172 conspectum fugit, Curia Tusca, tuum.

EULOGIUM IN COSMUM PUERUM MAGNI COSMI NEPOTEM

X3\_18 v.1 Me precor, ingenti subeunt dum funera luctu,  
 2 aspice, seu civis seu peregrinus eris :  
 3 sic hominum vanas poteris cognoscere curas  
 4 et solidum humanis rebus adesse nihil.  
 5 Nosces fallacis quot luserit aura sereni,  
 6 quam fugiat celeri spes moritura pede ;  
 7 haec te fortunae contemnere laeta monebunt,  
 8 cum refluat lubricis mobilis illa rotis.  
 9 Nam mihi quid nomen generis, quid profuit aetas,  
 10 quid Medicum cunctis inclita fama locis,  
 11 quid mihi divitiae ingentes virtusve parentum,  
 12 quid teneris annis pectus habere senis ?  
 13 Vera loquar : pueri tu ne contempseris umbram,

14 libera quae caelo jam levioere volat ;  
 15 carcere nam caeco Manes vinclisque soluti  
 16 mortalis terrae cernere vera queunt.  
 17 Cum me praecipiti periturum funere Clotho  
 18 in lucem tristi conditione daret :  
 19 "I breve per spatium - dixit - puer ! At breve vitae  
 20 Hoc spatium longi temporis instar erit.  
 21 Namque capax rerum mens et prudentia velox,  
 22 qualia jam magni dant mihi signa viri ;  
 23 tu curas tenero gestabis corde viriles,  
 24 oreque lactenti grandia verba fluent.  
 25 Adde bonae stimulos artis, primordia magni  
 26 ingenii, et gravibus linguaque culta sonis.  
 27 Nec quisquam, Lydos Fesula de gente Quirites  
 28 impellet de se credere tanta puer,  
 29 ullo nec tantum Florentia mater alumno  
 30 confidet nomen tollere in astra suum.  
 31 Sed spes decipiet miseram surdisque deorum  
 32 auribus in cassum tot pia vota cadent.  
 33 Nam tibi jam Lachesis, paene ipso in limine vitae,  
 34 truncabit celeri fila refracta manu.  
 35 Sed vos o miseri tantum sperare parentes  
 36 quid juvat ? An gravior luctus ut inde premat ?  
 37 Discite jam, pridem quid vobis fata minentur,  
 38 nam praevisa minus fata nocere solent.  
 39 Fata domum Medicam cunctis celebrarier oris  
 40 et caput esse suis civibus usque dabunt ;  
 41 sed nimium nimiumque potens foret illa, senectae  
 42 si suus aspiceret tempora longa nepos.  
 43 Non tamen hinc ibit Stygias inglorius umbras ;  
 44 nam desiderii stant monumenta sui.  
 45 Ah quantos gemitus imo de pectore tollent  
 46 Syllanidae, tota quantus in urbe dolor !  
 47 Te matres, te, parve, viri juvenesque senesque  
 48 flebunt, te maestis, Curia sancta, patres.  
 49 Nec tantum Archemori fatum morsusque draconis  
 50 Argivum Nemeae flevit ab amne cohors,  
 51 Romula nec tantum puerili in corpore letum  
 52 Marcelli tellus luctibus ingemuit.  
 53 Jam videor strepitus audire et rauca querentum  
 54 murmura confusis evolitare sonis,  
 55 stiparique vias video et Laurentia templa  
 56 turgidaque e lacrimis lumina cuncta piis.  
 57 Ergo ibis quo fata trahunt ; sed qui tua condet  
 58 parvus membra ferat disticha nostra lapis :  
 59 hic Cosmus puer est, cui si via longa fuisset,  
 60 Cosmi virtutes aequiparasset avi."  
 61 Dixerat haec Clotho mihi jam sub liminis oras  
 62 venturo : pariunt nunc sua verba fidem.  
 63 Namque duos primo lustro vix addidit annos,  
 64 bisque etiam nonos invida parca dies,  
 65 et procul ah, dulcis distractus pectore matris  
 66 pocula Lethaeo gurgite nigra bibam.  
 67 Jamque per Elysios veniens novus incola lucos  
 68 mirabor Manes per sua prata pios.  
 69 Tu tamen o nobis genitor justissima cura

70           aspera fortunae vulnera disce pati.  
 71 Et tua si flatu nunquam intumuere secundo  
 72           pectora tam multis sollicitata bonis,  
 73 disce animum duris fortem quoque sumere rebus,  
 74           nunc ne succumbat mens generosa malo.  
 75 Nam vir tunc fueris, sortem si invictus utramque  
 76           sic tuleris, medio ne moveare gradu,  
 77 cum praeter culpam - stulti licet usque repugnent -  
 78           nil sit quod sapiens non tolerare velit.  
 79 Quin etiam multi tranquillo pectore caros  
 80           arsuris natos imposuere rogis.  
 81 Aemilii nota est fors invidiosa triumphii,  
 82           perdita per septem pignora bina dies ;  
 83 et nati funus memorant spectasse Catonem,  
 84           prospera qua sapiens cernere fronte solet.  
 85 At qualem natum, sella cui Roma curuli  
 86           diceret ut praetor civica jura dedit.  
 87 Et Fabius nati primos quem sumere fasces  
 88           viderat arenti lumine fata tulit,  
 89 nec te Tarpeios postes Pulville tenentem  
 90           tristibus infregit invida fama sonis.  
 91 Sed nec Anaxagoras duxit nimis esse dolendum  
 92           mortali genitum condicione mori.  
 93 Facta virum memoro : fortis sed femina magnos  
 94           aequarat nati morte Lacaena viros.  
 95 Audiit ob patriam certantem vulnere crudo  
 96           in pugna natum procubuisse parens ;  
 97 tunc nec maternos conata est edere planctus  
 98           nec per colla vagis exululare comis,  
 99 sed : Genui, dixit, Spartam qui fortiter armis  
 100           dum tegit in vulnus fataque certa ruat.  
 101 O vox in cunctis celebranda annalibus et quae  
 102           legibus exurgat digna, Lycurge, tuis !  
 103 Non ego Socraticis volvam licet omnia chartis  
 104           his verbis quicquam grandius inveniam.  
 105 At tu qui magnas populi florentis habenas  
 106           cum fratre egregio cumque parente tenes,  
 107 unius in pueri succumbes morte, nec illis  
 108           te similem quos nunc diximus esse voles ?  
 109 Immo voles nec te, quem facta domestica possunt  
 110           erigere, a patribus degenerare decet.  
 111 Quin caeli numen tibi quo tua damna leventur  
 112           progeniem fato jam meliore dabit.  
 113 Vive igitur nostrique memor, sed luctus abesto  
 114           et te mortalem progenuisse puta !  
 115 Hoc age, sic nostrae demptum quod stamine vitae est  
 116           adjungat pensis Parca secunda tuis,  
 117 sic superes felix grandaevi Nestoris annos  
 118           et videas hominum saecula terna senex.

AD GUIDONEM GUIDUCCIUM

X3\_19 v.1 Lusimus ardentis teneris haec Guido sub annis,  
           2           ut canerem nostrae lumina sancta deae,  
           3           ut canerem Xandram cujus tantum uror ab igne,

4 quantum Sicaniis non furit Aetna jugis.  
 5 Interdum nostri sic Maecenatis honores  
 6 strinximus ut gracili qui canit alta pede.  
 7 At mea si Petro commendent carmina divae,  
 8 quae juga Permessi fluminis alta tenent,  
 9 prima haec Pierides Medici si grata reponant  
 10 ut sibi non penitus displicuisse putem,  
 11 auspicio tanto laetus majore per altum  
 12 aethera conabor carmine ferre virum.  
 13 Namque dabit magnas tanta haec fiducia vires,  
 14 ut referam grandi grandia verba lyra,  
 15 inter et heroas Saturni tempore natos  
 16 tentabo nomen inseruisse suum.  
 17 Nam Syllae aspicient hoc consultore Quirites  
 18 aurea Dictaei saecla redire senis,  
 19 Icaro aspicient geminas sub sidere lances  
 20 Erigonem justo pondere ferre pares.



Domenico Ghirlandaio *L'annuncio dell' Angelo a Zaccaria*

Cappella Tomabuoni    Santa Maria Novella

Firenze



Marsilio Ficino

Angelo Poliziano



Cristoforo Landino

Demetrios Chalkondyles ?

